



PARS SECVNDA.

AD MODVM SERIA
OBSIDIO, ET PER QVAM
violenta, licet irrita, victoriosa arcis
oppugnatio.

Tanta molis erat fragiles excindere muros,
Lechniacosq; Lares crepitantibus vrere flammis.
Cafa parentari tantos sibi sanguinis imbres
Funera Casarcum postunt, Senonumq; minori
Vrbem strage pati haud decuit miserabile fatum.

Nunc age, quas fraudes, Erato, vanosq; labores
Quas latebras ac antra Comes molitus, vt arcem
Inclusosq; Duces vastis sibi subderet armis
Expediam, & prima reuocabo exordia pugnae,
Tu Dea, tu praesens nostro succurrere labori,
Dicam acies, actosq; animis in funera Gallos
Consortesque Duces; dictu mirabile ! bellum
Subterrestre canam; veluti si in praelia mures
Talpa erat (pateant horrenda simillima paruis
Bella modis) maior rerum mihi panditur ordo,
Maius opus moueo. Vano nox prima triumpho
Attulerat requiem, rutili cum candida Phaebi
Iam nouies exorta soror sua cornua verno
Luciferis Maio monstraret Luna caballis,
Non passa est Ducis ira moras, sed fallere plebis
Gorda volens maiore metu, sua vela secundis

PARS

Expandit ventis, templo quod fortè manebat
 Haecenus illa sum, miro quod honore colebant
 Exacti ciues, laxis immisit habenis
 Haereticas furias, sacra pandere limina mandat
 Intonat horrendum, perfringite, sternite postes,
 Saxa rotet praecipit aries, praetextaq; portas
 Testudo feriat, ruat emersura iuuentus.

Delusus credebatur enim moerentibus aris
 (Sic quondam suasit pietas) hostilia signa
 Extremum dubia petisse salutis asylum.
 Sed tantum pauci pulsus melioribus annis
 Ex sanguine vetuli, teretiq; innixa bacillo
 Rara anus abstrusis templi sese abdidiit antris;
 Vel quia non poterant alijs scandentibus arcem
 Addere se socios, dum tardâ vrgente senectâ
 Geniua labant, nec non trahit aeger anhelitus arcus.
 Vel quia morosi longâ obsidione teneri
 Muros, ac nullum sperabant ad fore fessis
 Subsidium, sese spontè exposuere periculis

Accelerant subito factâ testudine Galli
 Expugnare fores, summâq; euertere opum vi
 Vestes, bombardâ dirum crepitante misellis
 Per laceras vetulis intorquent tela fenestras.
 Omnis inops animi circum sacra limina Gallus
 Bacchatur, qualis commotis excita sacris
 Thyas, vbi auditio stimulant Triëtérica Baccho
 Orgia, nocturnusq; vocat clamore Citharon.
 Confuse feriunt summi laquearia tecti
 Voces, nec quicquam seuum resonabilis Echo
 Auribus ingemmat, nisi flammâ, vulnera, mortem,
 Fre, seca, iugula, lania prosterne, trucida,

Fatiferum lateri capulo tenuis abdite ferrum,
 Nunc pœnas discent quam promereatur atroces
 Celtarum spreuisse Duces, nunc ensis adactus
 Transadigat costas, perq; impia pectora pergens
 Pulmonis pandat latebras, vitæq; meatus,
 Tum simul in turrim lapides agitata minores
 Funda rotat, magnos balearica machina muris
 Incutit. & duro laquearia concutit ictu.
 Fracti disiliunt muri, disiectaq; saxa
 Saxa volant, multusq; vndanti pulvere fumus
 Voluitur, ac magno sonitu labat ariete crebro
 Ianua, & emoti procumbunt cardine postes.

Quis tibi grex vetulus cernendo talia sensus?
 Quosve dabas gemitus cum cœmeteria late
 Prospiceres turri ex alta seu fulgure vastis
 Ardere armorum radijs, totamq; videres
 Misceri ante oculos tantis clamoribus urbem?
 Turbati trepidare intus, frustra q; malorum
 Velle fugam, dum se glomerant, retroq; residunt
 In partem, qua peste caret, sed terror & angor
 Expellit tremulos latebris, plangoribus ara
 Fœmineis ululant, canâ niue sparsa profusis
 Barba madet lachrymis, ac hispida pectora tingit.
 Hei quàm magnus erat miseris tremor, horror & angor!
 Vt solet extractum mox decollandus ad enses
 Hiscere, sic rigidâ rugis ceruice tremiscit
 Turba misella senum diri lictoris ad ictum.
 Ast vbi procubuit resonanti pondere templi
 Ianua, & ingenti cælum tonat omne fragore,
 Semineces sternuntur humi, pauida vltimus errat
 Spiritus ora super, mox sumptis viribus hosti

Poplite succumbunt flexo, tenduntq; fremens
 Supplicus cum voce manus, vixq; hisce precantur:
 Parcite supplicibus, tarda tremulaq; senecta
 Parcite victores, victorum propria virtus
 Parcere subiectis, ô parcite, parcite victis.
 O brevis & misera nimiumq; volubilis aura
 Improbe amor! quid non mortalia pectora cogis?
 Ire iterum in lachrymas, iterum tentare precando
 Pergunt, ac animos precibus mollire feroces.

Ad pia vota senum tantum mitescere cepit
 Ira furorq; hostis, veluti si terga leonis
 Massylasq; iubas Dea saeva potentibus herbis
 Mansueti Circe vultus superinduat agni,
 Aut velut ad numeros cytbara mutata Sâulis
 Olim destituerat rabies: sic ira furentium
 Gallorum lenita fuit, ravidumq; furorem
 Mollierant lachryma, nam quis tam barbarus atque
 Ferreus esse queat, quem non hec vota precantium
 Flebant? hunc genuit prae ruptis cautibus horrens
 Caucasus, Hyrcanaq; admôrunt vbera tygres,
 Senior hic tristi Busride, senior illo,
 Qui falsum lento succenderat igne iuencum.
 Non mage stebilibus modulis Rhodopeius Orpheus
 Flexit Aganoridem Rhadamantum, vt carmine motus
 Redderet Eurydicen, superisq; remitteret oris,
 Ni flexisset amans oculos, legemq; statutam,
 Ne retro vertat sua lumina, donec Auernas
 Exierit valles, aut irrita dona futura,
 Hei nimis incautus! cupido rupisset amore.
 His ego crudeles Erebi Diruq; ministras
 Toruam Tisphonem, Alecto, diramq; Megaram

Implexas stygios fufis pro crimibus angues
 Flekti poffe reor lachrymis, quibus ir a furentium
 Gallorum labefacta fuit, vetulog₃ fpondit
 Non rumpenda gregi canentia flamina vite.
 Vita datur, fed dura datur, nam terga cruentis
 Caduntur flagris, crebris tunduntur anhelæ
 Pectora verberibus, nunc vncis vnguibus ora,
 Nunc oculos fœdant pugnis, lacerantq₃ profufas
 In ventrem barbas, vrgentq₃ vt gaza latebris
 Prodeat, ex imis effoffa pecunia cryptis

Haud abinauditis furys antiqua sacrata
 AEdis religio, vel lefi Numinis ira
 Terruit, aft densas obfcura nocte per vmbra
 Inuadunt tumulos, reuocantq₃ in pralia Manes,
 Sacra feptulorum denfo monumenta coronant
 Aggere, & abrupto circumdant vndiq₃ vallo,
 Saxorumq₃ orbes, & qui fuper eminus hoftes
 Tela repercutiant pragnantes vbere gleba
 Arbuteis texunt virgis ac vimine corbes.
 Prò crudele nefas! Summo sacrata Tonanti
 Aufu polluitur turpi domus, atque prophano
 Sacratur Marti, fupplex vbi vefte Sacerdos
 Indutus nitidâ facra myfteria Miffe
 Conficit, ac populo fine fanguine victima fufo
 Virgineum Chrifti corpus fanguisq₃ sacratus
 Offenfos placat Superos, vbi fancta fupremum
 Turba folet tacito venerari murmure Numen,
 Hic nunc arma furunt, hic nunc tentoria Galli
 Ac fera castra locant, vbi cantica dia fonabant
 Organicis modulis, nunc fanguinolenta boatus
 Fulmineos edit bombardæ, vbi vefte facerdos

Ornatur sacrâ, diuersa foramina crassos
 Per muros effracta patent, quibus horrida seuo
 Prospiciunt ritu tormenta, & tela minantur.
 O quanto hic Superos Ciues venerantur honore
 Insignes pietate viri! quam feruida crebros
 Eructant gemitus praecordia! quot ve coruscis
 Pendentes ornant Lychni laquearibus altis
 Flammis Reliquias Diuim! quot cereus ignes
 Exhibet oblatos? quanto feruore flagrantes
 Sacramenta gregi cupiunt conferre fideli?
 Prô scelus immensum! passim blasphema laceffit,
 Celtica vox superos, Diuim reuerenda scelestis
 Subijciunt simulachra focus, zeloq; nefando
 Conclusas acies, non baptismalibus vndis,
 Sed magis effuso cupiunt renouare cruore.

Hic longis augmenta moris capit, atque sub imis
 Cordibus incensus zelus furit, vnde dolosi
 Oppositos arci clandestinosq; meatus
 Effodere incipiunt, ac tectâ fronte latentes
 Ingentes subeunt latebras, ac fraudibus altos
 Impregnant vteros, vt tandem lugubre fatum
 Parturiant muris. Sed cautis prouida virtus
 Clausorum Procerum technis obiecerat ingens
 Praesidium, portas ducto circum aggere vasto
 Cingunt, exstruitur magno subitotoq; labore
 Immanis moles, radiantia cornua Luna
 Dimidia referens, in cuius fronte locatur
 Vasta domus, quam non Testudo, nec Onager, atque
 Phocais effundens magnos balista molares
 Haud penetrare queat, fragili nec cespite tantum
 Consenti Proceres subitos attollere muros,

Ingentes cautes, auulsaq₃ saxa metallis,
 Vastatasq₃ domos, direptaq₃ moenia crasso
 Subijciunt operi, magnis inmixta columnis
 Quercubus incumbunt fastigia, fraxinus ingens
 Trabs onerata gemit, fortissima robora, fagi,
 AEsculus, Alenda gratissima populus, ilex,
 Alnus amica fretis, qua dudum fortè iacebant
 Praruptis precisa iugis, stant ordine denso
 Horrendis circum stipata per agmina trunci
 Dentibus armati, qui quantum vertice ad auras
 Aethereas, tantum radice in Tartara tendunt,

Hanc vni è reliquis forti defendere turrim
 Cura datur Proceri, murisq₃ repellere Gallos.
 Centeni iurata Ducis vexilla sequuntur
 Purpurei cristis iuuenes, animosq₃ feroces.
 Hac animosa manus duris perducit in armis
 Insomnes noctes, dulci succumbere somno
 Mille pericla vetant, sed circum vocte dieq₃
 Obseruans vtrumq₃, latus sua castra tuetur,
 Exercetq₃ vices, omnesq₃ intendit ad astus.
 Hoc ingens longè munimen ab arce coërceet
 Agmina Gallorum, hac radiantia cornua Luna
 Ingenti splendore dolos ac hostis inertes
 Insidias pandunt, ac grandi luce corusca
 Haud secus ac caecis obfuscant lumina talpis.

Tum Guebriam factas aduersa mole lacebras
 Defecisse videns, vltro implacabilis ardet,
 Attollitq₃ truces animos, exastuat ingens
 Imo in corde pudor, mistoq₃ insania luctu,
 Et furij agitat amor plus arcis habende
 Estimulat Comitem; vasuos penetrasse Penates

Quid iuuat: exclamat, clausam nitamur in arcem
 O Socij, hanc solam quicquam subijisse iuuabit.
 Hei quid agat? vario fremebundus fluctuat aestu,
 Diuersaq; vocant animum in contraria cura.
 Ut discussus erat furor & lux reddita menti,
 Mox iubet inceptas (nam spes haud alterum in arcem
 Obsessum suadebat iter) maiore latentes
 Conatu socios sub humo reparare meatus.
 Deinde p̄j Parochi, qua clausa proxima stabant
 Arci tecta iubet vigili statione teneri.
 Hoc prudens pridem praesaga mente timebat
 Delliger, occultis hostis ne exinde latebris
 Serperet ad muros, verum consumere flammis,
 Aut aquare solo, penitusve reuellere postes,
 Pastoris prohibebat amor, non perditam damnis
 Vera fuit pietas, non emersura pericla,
 Hostilesq; doli poterant subducere amorem.

Presbyter ipse videns charos subijisse Penates
 Gallorum turmas, ac sacra cubilia saeuum
 Hostili mugire sono, certumq; minari
 Interitum castris, ac vastras supponere muris
 Moliri caueas, placidum mox magna lacescit
 Ira virum, grauius fert mens commota cadentem
 Vlciisci patriam, pariterq; euertere charos
 Cum diro simul hoste lares, adumq; ruinam
 Commiserans Pastor gregibus succurrere festis.
 Ast vbi turbata consueta memoria menti
 Casu suggestit Dilecti Principis atque
 Aduersas patriae sortes, has pectore voces
 Ingens fudit amor: Pereant hac tecta, Penates
 Flamma voret, sauis radicitus eruta telis

Fundamenta ruant, totaq; à sedibus imis
 Procumbant ades, referantq; miserima Troia
 Busta, vel antiqua Tyros horrida rudera signent.
 Vrantur pecudes, pereat satis ampla supellex,
 In cumulos qua fusa iacent cerealia lati
 Dona vehant multis oneratis curribus hostes.
 Non ego diuitias specto, solitasve gemisco
 Delitias, pereat, poterit quodcunque perire,
 Sim mendicus, inops, quin sim quoque paupere solus
 Iro pauperior, pauperrimus esse meorum
 Haud ego formido, tantummodo Principis arcem
 Hisce malis cupio subduci hostilibus armis.
 Hoc mihi sufficet pretium, sic latior vsta
 Damna mea tolerabo domus, hac sospite gaudens
 Aduersa sortis solabor tristia fata.
 Quin quoque crudeli placabilis hostia Marti
 Cadat ego, si morte meâ stent Principis arces,
 Casurosq; queam ferro subducere ciues.

O decus! ô virtus! ô elausa firma columna
 Spesq; arcis Mystes! tardi seriq; Nepotes
 Extollent meritum per plurima sacula nomen,
 Donec Lechmehij stabunt fundamina castris,
 Exsoluent grati praconia posthuma ciues,
 Hocq; parive modo semper tua facta canentur:

Haud secus ac quondam Romano sanguine cretus
 Curtius, afflictis hominum cum tabida membris
 Corrupto cæli tractu, miserandaq; venit
 Arboribusq; satiusq; lues & lethifer annus,
 (Utque ferunt veteres Fasti) non sauior vlla
 Pestis & ira Deum stygijs emerferat vndis,
 Victima factus erat populo, foucisq; stupendo

92

Infilij salu' (sic credidit alta vetustas
Placari Superos, mundoq; auertere pestem)
Urbe Quirinali seui contagia morbi
Eiecit, rabidaq; luis fera spicula fregit.
Et veluti fugiens summi mandata Tonantis
Per vastum pelagus longas tremebundus in vrbes
Ionas, cui tenera nomen fecere columba,
Cum Deus iratus sua spernere iussa prophetam,
Postquam altum tenuit nauis, nec iam amplius vlla
Appareat terra, cœlum vndiq; & vndiq; pontus,
Mox mare commouit, supra caput astiuit imber
Noctem hyememq; ferens, & inhorruit vnda tenebris,
Intonuere poli, & crebris micat ignibus æther,
Presentemq; viru intentant omnia mortem;
Tanta pati cernens miseros discrimina nautas,
Alia puppe cadens ceto sorbente vorari,
Tresq; latere dies monstri fluitantis in aluo
Spontè tulit, pariter ne nautæ fortè perirent.
Sic quoque primaui Patribus venerabilis olim
Pastor erat, cuius genitor fuit incolæ dia
Vrbis, cui nomen volucri se proxima miscens
Rura Mosa dederat, claraq; propaginis hæres
Longeuusq; nepos, multum venerabilis inter
Ciues, quam VVlraff veteres dixere parentes.
Parq; tibi, cuius sanctissima nomina gessit,
Inclycæ Laurenti, non impar laurea virtus
Hunc decorat Mystam, tu demonstrare tyranno
Abnueras templi gazas, rubeamq; subire
Malueras cratem; sed noster Mysta verendus,
Dum quondam Senones, Hæssi, sauig; Suëci,
Trina tripartito veteres gens agmina muros

Urbis diruerat, Patribusq; sub arce reclusis
 Ipsius vicina domus correpta furore
 Hostili mortis manifesta pericula ferret,
 Ipse rogum suasit proprijs supponere tectis,
 Ipse lubens docuit tormenta lacescere cautis
 Abstrusos latebris hostes, & chara ruinam
 Ipso auctore domus subiit, mæstiq; Penates
 In cineres versi Domini genuere rigorem.
 Hic vir in obsesso castro succurrere cunctis
 Auxilio conatus erat, mysteria Missæ
 Pro grege sole nouo semper redeunte peregit,
 Diuinisq; rudes docuit sacra dogmata verbi,
 Et quibus insidunt hostilia spicula sauis
 Vulncribus mortem prior ipse piacula corde
 Contrito narrare rogat, narrataq; soluit,
 Sic multos aliàs perituros misit ad astra.
 O vtinam similis nostro nuuc tempore Pastor
 Subiectas Nos pascat oues! miserumq; lupino
 Hereticoq; gregem validè tueatur ab ore.
 Hic, quod salua manent hac circum mœnia nobis,
 Non pars parua fuit, dignas charissime Pastor
 Has tibi sacramus pro tanto munere laudes,
 Mittit ad Elysios gratos tibi Mystra beate
 Tales ore sonos grex (suscipe) posterus agros.
 Tales fila trahens virgo tibi cantica promet,
 Et tua disparibus septem compacta cicutis
 Fistula dulcisonis modulis praconia pangens
 Ad dulces numeros lenium tremebunda mouebit
 Membra puellarum, tremulis veteranus in annis
 Decrepit à grauitate sedens longissima noctis,
 Dum te laude feret super athera, tadia faller.

O venerande senex! tantum compenset amorem
 Omnipotens trinusq̄, Deus mercede perenni,
 Talibus indicijs claris Heroibus ingens
 In patriam pietas postquam patefacta colendi
 Pastoris, paulumq̄, prior reuerentia cessit,
 Protinus exarsit generosa corona virorum
 Mentibus, indomita nec tempora distulit ira,
 Sed Parochi peritura videns è mœnibus altis
 Tecta scaterè dolis, diuersas itur in artes,
 Dissimilesque modos pellendi hostilia castra
 Suggestit ingenium dispar, pars ignibus, & pars
 Ense manuque domus subuertere limina suadet.
 Tandem tuta magis visa est sententia cunctis,
 Immensis sursum constrictum restibus ingens
 Tormentum attrahitur, summoque in vertice celsæ
 Turris, quæ vico stabat vicina, locatur.
 Vastâ summus apex tremefactus mole querelas
 Sparsèrat, atque gemens nutabat in æthere pinna.
 Hoc vbi constitèrat supremo in culmine tecti,
 Ingentes lato toties vomit ore fauillas,
 Igniuomoque quatit mœrentes fulmine muros
 Pulsus ab ære globus, quod mox dare terga coacti
 Auersis hostes signis, imisque latebris
 Expulerit miseros, fugiunt velocius Euro,
 Ante Nothosq̄, volant, pedibus timor addidit alas,
 Sic rudis agna lupum, sic seuum cerua leonem,
 Sic aquilam pennâ fugiunt trepidante columba.
 Castra sacra petunt, sacrae voluuntur ad aræ,
 Libertate sacra sîsa sub limine templi
 Hæretica furia cupiunt reperire salutem.
 Hac fuga commouit Guebrian, grauibusq̄, repressæ

Sic retro dictis dextrâ quatit ilia, clamat:
 Quo fugitis Socij, per vos, & fortia facta,
 Perq; trium tria castra Ducum, deuictaq; bella,
 Spemq; meam, patria que nunc subit amula laudi,
 Fidite ne pedibus, ferro rumpenda per hostes
 Est via, telorum quâ personat horridus imber,
 Tum iungens ad verba minas, sermone sub imo
 Guttore detento, manibus pedibusq; redire
 Ad loca licita iubet, præfixaq; castra tueri.
 Territa turba minis conuersis ilico signis
 Grande tonans trepidansq; metu remeauit ad ades.

Tunc rursus maior synceri tessera amoris
 In Pastore patet, dum saua repellere rectis
 Ipse hostes tormenta docet, propriasq; per ades
 Ipse vibrans notis intentat tela latebris.
 Sed grauis aduersis tantos Ducis ira manipulis
 Addiderat stimulos, ut nec densissimus imber
 Telorum volitans, nec plurima mortis imago,
 E statione queat mentes reuocare feroces.

Tum clausus miles producere longius iras,
 Et scuire animis Gallos haud passus acerbis.
 Soltu testis eris, medio nitidissimus orbe
 Qui tunc franabas rutilos remone iugales,
 Quam subito iuuenes coeant, pilatq; plenis
 Agmina se fundant portis, accensaq; turba
 Pars manibus stringunt gladios, pars asa cauata
 Corripiunt, atque arce ruunt, medijq; manipulis
 Ductores auro volitant ostrog; coructi.
 Sic omnes amor vnus habet conuellere sacra
 Tecta domus, rapitur per apertas saua virorum
 Tempestas portas, ac ferrea fertur in hostem

Vulcanumq; focosq; ferens, mox mittitur atrox
 In vicina sacris his adibus horrea flamma,
 Ut se diffundens ignis maioraq; sumens
 Incrementa sacris tectis incendia spargat.

Sed dum flamma vorax lentis tacitisq; furebat
 Passibus, ac saluas Pastoris linqueret ades,
 Pleno Marte petunt hostes, imisq; latebris
 Extrudunt, pelluntq; foras, ac sanguine dextras
 Hostili tingunt, animasq; in Tartara mittunt.

Quis cladem illius pugna? quis funera sando
 Explicet, aut animo voluat? Vidi ipse furentes
 Seminecesq; iacere viros, tepidumq; recenti
 Cade locum, & plenos spumanti sanguine riuos.
 Tandem fert avidas obsessus in arida miles
 Tecta faces, subito late vulcania pestis
 Diffudit sese, rapidusq; incendia flatus
 Ventilat, & volucres spargit per nubila flammis.

Tum mox diffugiunt Galli, latebrasq; relinquunt,
 Disiectiq; Duces, desolatiq; manipli
 Tuta petunt, signisq; volant ad templa remisiss.
 Tandem praclari Paro: hi dedit ampla ruinas
 Vulcano superante domus prostrataq; terra
 Luxuriant fuso Gallorum busta cruore.

Exin Dux Guebrian fatali clade suorum
 Afflictus cepit curis ingentibus angi,
 Et timor atque pudor mixto praecordia motu
 In diuersa trahunt, nunc fert mens anxia aperte
 Marte viris clausis plenis concurrere signis:
 Nunc timor accedens retro trahit, atque latere
 Sub cellure iubet, nec non sine sanguine lassos
 Tutiùs esse monet caudè subuertere muros,

Hinc licet ante Duci ferme fiducia tota
 Cessit, & effossis verti non posse cauernis
 Mœnia crediderit, tamen haud nunc suppetit vllum
 Conueniensq; magis medium; iubet ergo subire
 Antra relicta viros, sacri post atria templi
 Imperat in castrum cœptos properare cuniclôs.

Quis fuit, ô Musa, qui tanta pericula castro
 Auertit? Gallos imis quis depulit antris?
 Et meministis enim Diuæ, & memorare potestis.
 Quem supra cecini, dictus Sturm nomine miles
 Marcoduriades, imâ tellure cuniclôs
 Euacuare cauos doctus, mira arte dolosas
 Elusit foneas; solerti indagine crebros
 Ictus explorat falcis curuiq; ligonis,
 Et veluti leporum vestigia naribus acres
 Obseruant impressa canes, ac valle iacentes
 Frondosa catulos indagant ore sagaci:
 Sic quoque stratus humi resonans notat aure latebras,
 Et caua quævis reboant seuis mugitibus antra.
 Mox patuere doli, directo tramite fossas
 Opponit fossis, paribusq; vtrinq; propinquans
 Sub tellure vijs, veluti cum turgida fuluo
 Per varios tractus sinuans se vena metallo
 Principio cupidis vtroq; secatur Iberis.
 Tandem conueniunt medio, latebraq; sub imis
 Terra visceribus coeunt; sic miles ab arce
 Sturm monstraute vias nigris propiabat in antris
 Insidijs Senonum (Senones securâ putabant
 Antra, nec aduersos contra repisse maniplos)
 Spe properant vtrinq; pari, contingere muros
 Accelerant Galli, contra penetrare cauernas

Casareūm flagrant animi, iam iamque mucrones
 Haud longos in membra parant, fodiuntq; tacentes.
 Non secus ac pauidos arctis si forte cuniclōs
 Seuus odoratur, catulus latitare sub antris,
 Vngue secat foueas, lateq; per aëra spargit
 Eiectum post terga solum, succenditur vltro
 Appropriando furens, rostro persapè tenaci
 Immanes fundens runcos scrutatur odores
 Hostiles, sed si quando fortasse tepentes
 Contingat sentire auras, quibus aestuat hostis
 Attonitum rabie pectus furor additur ira,
 Ac prada rabido crescit sub corde cupido:
 Taliter ira manus clausas stimulabat in hostes,
 Cum gemitus, nec non sitientia sanguinis vnda
 Vota laborantūm audirent mugire per antra.
 Sapius exiguum, quod adhuc interiacet antris
 Aduersis, rabidi voluere reuellerè vallum,
 Sin immaturo turgentia corda furore
 Dux franasset agens latebras, monitoq; salubri
 Iussisset tardare moras, ac commoda seuos
 Expectare viros tenebrosa tempora pugna.
 Ipse sagax miscet ceratas sulphure tadas,
 Nigrantemq; picem nec non teterrima nitra
 Immittit tenui lino, validūq; lacertis
 Librandos in cœca globos parat' antra dolosus.
 Deinde ait ad Socios: clausis pugnate labellis,
 Et certent sine voce manus, desœuiat ensis,
 Vana sed occluso requiescat lingua palato,
 Ne, quos incensa tæda fumoq; vapores
 Spargent commistos globuli, per hiantia voce
 Guttura sorda petant, nec non rauedine turpi

Pectora perfundant, ne lassus anhelitus agros
 Sub pulmone tremat. Vix his instruxerat irâ
 Frendentes socios, subito tonat omne tumultu
 Gallorum trepidans antrum, curuiq; ligones
 Multâ vi structas properant penetrare cauernas.
 Forsan adhuc spaiuum latebras remouebat verasque
 Quinque pedum (Nostri nam dudum agitare ligones
 Armaq; destiterant, missoq; fragore quierant,
 Et solos taciti Gallos properare sinebant,)
 Tum subito mediam permagno turbine molem
 Instrumenta secant, mistis vtrimq; tenebris
 Mox immane chaos patuit, coÿtq; sub imis
 Visceribus terra caligine opata vorago.
 Hic mox tela volant, volat atro flamma sonore,
 Et mixtus factore vapor, globuluq; solutis
 Fit fragor immensus, tristisq; it ad aethera clamor
 Bellantum Senonum, & duro sub Marte cadentium.
 Contra Casarei lucem quam sparserat antris
 Exiguam caeleste iubar, subito igne solutis
 Eripuere globis, saeuo bombardâ fragore
 Plumbea tela vomit, breuibusc; mucronibus instant,
 Quos arctis facile versare licebat in antris.
 Ac velut immisi diuersis partibus ignes
 Arentem in syluam & virgulta sonantia lauro:
 Aut vbi decursu rapido de montibus altis
 Dant sonitum spumosi amnes, & in aquora currunt,
 Quisque suum populatus iter, sic muta iuuentus
 Vasta per antra ruit, sine voce & murmure frendet,
 Hinc cruor, hinc cades, hinc plurima mortis imago:
 Nam Procures cum plebe cadunt, cadit ipse magister,
 AEmula qui mursum Gallis sua struxerat antra

Crescunt in cumulum strages, vastasq; cauernas
 Expleuere viris, stagnant immensa cruore
 Corpora, traduntur permisto funere manes.

Tum Gallis subita gelidus formidine sanguis
 Dirigit, cecidere animi, cum mente colorem
 Perdiderant, magnosq; coma terrore rigeabant,
 Non tamen insidias sat mens agitata dolosas,
 Neve repentina poterat cognoscere cladis
 Authorem, num clausa cohors prorepserit antris
 Oppositis, nun spectra cauis latitantia cryptis
 Vanâ cade fremant, nimiove dolore Cybelle
 Occultos cruciata sinus inmania membra
 Contrahat, an veluti quondam Core, Dathan, Abiron,
 Nunc turpes fraudes terra indignata dehiscat,
 Donec conspexit notos in milite nostro
 (Nam casu facies tremulo resplenduit igne,
 Dum iactat piceâ fumantem lampada flammâ)
 Franca cohors vultus, nante menti impressa manebat
 Magna viri virtus, quâ sacras nuper ad ades
 Pastoris plures socios submiserat orco,
 Mox timor immensus perstrinxit pectora, clamat:
 Hostis adest, non spectra furunt, nec inania monstra,
 Hostis adest, date tela viri, date tela sodales.
 Plura loqui terror vetuit, timidusq; maniplis
 Spes virtusq; cadit, trepidâq; à mente recedit
 Vertere terga pudor, nec lethi cura decori,
 Sed fugere infixum est, terraq; optantur hiatus.
 Sic vbi cauca a fens tygris se protulit antris,
 Linquuntur campi, & tutas petit omne latebras
 Turbatum insano vultu pecus, agmina latè
 Terris præcipitant volucres formidine cerui.

Perq̄ fugam miscent varijs fera murmur a linguis.
 Quam fuit hæc lepidò condigna tragœdia risu?
 Præuolat ante Nothos leuibus gens ignea plantis,
 Cui sonipes cursu, cui cesserit incitus annis,
 Tanta fuga est, certant penna, campumq̄, volatu
 Cum rapuere pedum frustra vestigia queras.
 Qui primi erupere per atra foramina cryptæ,
 Hos postrema super misto premit agmine turba,
 Nec miseram effugiunt mortem, sed limine in ipso
 Contriti exspirant animas, at corpora cæsa
 Speluncas condigna cauas tenuere sepulchra,
 Nec templis at tuta putant sacrâ limina, apertis
 Relicto vico properant se fidere campis.

Tandem Ductores auditâ clade suorum
 Conueniunt Celta, Guebrian, Rosa, truxq̄ Tubadel
 Palantesq̄ vident socios, hostemq̄ receptum,
 Et Guebrian: quo deinde fugam? quo tenditis? inquit.
 Restat parua cohors, & vestris vndiq̄, septa
 Aggeribus, tantas strages impune per antra
 Ediderit: iuuenum primos tot miserit orco?
 Quis vos heu vobis timor abstulit? horrida primi
 Si fors visa loci, pugnaq̄, laceffere frontem,
 Post me state viri, & pulsâ formidine tantum
 Aspiciate has dextras, capti genuere Penates
 Quos fugitis, qua spes victis? quid deinde? quid oro
 Restat Io profugis? vos en ad mœnia Agrippæ
 Ducitis hos populos? vos in conclusa flagrantis
 Castra faces ferrumq̄, datus? sta miles, & acreis
 Disce ex me pugnâs, vel si pugnare negatum,
 Disce mori, stygii caput implacabile fontis,
 Perque meam, Regisq̄, mei nunc iuro salutem,

Hoc, hoc ense cadet (nam strictum forte vibrabat)
 Me ductore sequi quicumque recusat in antra.

Dixerat, ac ab equo saltum dedit ocyus aruis,
 Perque viros & tela ruit, turbataq; castra
 Deserit, ac rapido cursu properabat ad antra.
 Talibus accensi firmanantur, & agmine denso
 Consistunt, interq; minas Ducis atque latebras
 Spemq; metumq; trahunt, magnosq; horrore tremiscunt.
 Ac veluti murum dum noctu ridiculus grex
 Ad pastum properans per caeca cubilia panis
 Attonito legit ore micans, si glaucus ocellis
 Irruat in tremulum cattus pecus ore cruento,
 Mox tremit atque ruit, tutiq; relabitur antris:
 Haud aliter Galli viso Ducis ense vibrato
 Vertuntur, retroq; legunt vestigia amara,
 Horrerendosq; specus subeunt crudele tonantes.

Contra Caesarei varias posuere sub antri
 Ore faces, piceosq; globos, limiq; per atros
 Anfractus spargunt infectos sulphure fasces
 Foetentiq; nitro, longo quibus ordine pulvis
 Fulmineus substractus erat; iam lubrica Galli
 Sub Duce terribili Guebriani spelaea subibant,
 Longior extremâ tetigit tum cuspide diros
 Hasta dolos, subitoq; niger succenditur igne
 Pulvis, & oblongo volat incita vortice flamma,
 Igniferumq; trahens spatioso tramite crinem
 Incendit fraudes, misto fetore corusca
 Sulphurea piceaq; faces incendia latè
 Dira per antra ferunt magnosq; fragore soluti
 Hostibus incutiunt summi Iouis amula telis
 Tela globi, longo spelunca volumine vastis

Faucibus ingentem fumum (mirabile dictu)
 Euomit, inuoluitq; hostes caligine caeca,
 Non tam grande tonat motis incudibus Aetna,
 Cum Brontes Steropesq; ferit, cum ad sidera nubem
 Turbine flammantem piceo & candente fauilla,
 Flammaramq; globos euibrat, & aethera lambit,
 Vel grandes scopulos, auulsaq; viscera montis
 Egerit eructans, liquefactaq; saxa sub auras
 Cum gemitu glomerat, fundoq; exaestuato imo.

Tum vero accipiti mentem formidine pressi
 Obstupere hostes stabant sine sanguine, longo
 Vertice caesaries rigidis stetit hirta capillis,
 Non minus horrescunt, quam si Plutonia regna
 Sulphureas cernant longe eructare fauillas.
 Non magis alba comas cum populus atra trisaucis
 Herculeam conclusa manu canis ora videret,
 Territa contremuit; gustu replentur amaro
 Guttur, sic mordet teneros vapor ater ocellos,
 Ut palmam premerent vtraque cadentibus armis.
 Dein laeso pulmone spuunt, & viscera rauca
 Tussis anhela quatit, vixq; hos expresserat ingens
 Ira sonos: Detestandi Necromantes, & atro
 Dignum Dite genus, dira atque venefica pubes,
 Non Germana parens grauidam vos edidit alio,
 Huic melior natura solo, sed Thessala tellus
 Vos genuit, vos prima suo de matre cadentes
 Tisiphone, Furiag; alia multo angue comantes
 Suscepere sinu, vobis Titania Circe
 Ac Medea lubens cedit, Vos arte Magistras
 Vincitis in magicam, succos Pontog; venena
 Vobis lecta dedit Maeris, quibus ipse solebat

Sapè lupus fieri, & vastis se condere syluis,
 Sistere aquam fluuijs ac vertere sydera retro;
 His vos edocuit manes excire sepulchris,
 Inque ferox rabidum Cacodæmona cogere bellum.
 O vimam patefacta feris hū ima dehiscat
 Terra magis stygijs nutritibus atque magistris
 Discipulos iungat, manesq; retrudat ad imos.
 Talibus attonita tanta ad spectacula turma
 Execrabantur crudelibus agmina Diris
 Casareūm, ceditq; loco ferus Hassus, & omnis
 Latè Celta fugit, pix, fumus, sulphur & ignis
 Belligeris fecit miranda silentia cryptis.

Ac veluti summo venator densa Picane,
 Cum lustra exagitat, spissusq; cubilibus atram
 Immittit passim dumosa per inuia pestem,
 Dum tacitas vires & flammam colligit ignis,
 Nigranti piceus sensim caligine vertex
 Voluitur, & pingui contorquet nubila fumo,
 Mox subita in toto lucent incendia monte,
 Fit sonitus, longâ fugiens vulpecula caudâ
 Verrit humum, fugere fera, fugere volucres,
 Atque vna longè trepidant in valle iuuenta:
 Sic quoque spumantes ac fumida viscera crebrâ
 Tusse eructantes Galli mistiq; Succi
 Texunt festino glomerata volumina cur su.
 Liliger aurato præfulgens murice Ductor
 Præuolat ante suos, reliquos velut ante feroces
 Pegasus ibat equos, pedibus quasissè salutem
 Vnica spes, circumq; metus, terrorq; tremorq;.

Hac fuga victorum iucundo pectora risu
 Mulsi, dum retrò conclusa foramina cryptæ

(Nam)

(Namq̄, intermedium celeri prius arte reuulsuris
 Vallum, nunc rursus medio surrexerat antro,
 Flammarumq̄, globos, exhalantemq̄, mephitim
 Cogebat solos fœtore laceffere Gallos)
 Fusa per exiguas rimas toto agmina vico
 Gallorum cernunt, quorum pars alite planta,
 Pars ope cornipedis totis ferretur habenis,
 Et quod, dum volitant rapidâ per aperta procellâ
 Tenuia vix summo vestigia puluere figunt.

Talia per nigras Mauors fera bella cauernas
 Miscuit, his arcem Guebrian sperârat in antris
 Vinere, cum patulos renuissent fata triumphos.
 Sed frustra Senonum diuersâ pralia Ductor
 Fraude tegit, frustra q̄, velut, qui gurgite regnat
 Carpathio, Proteus mutatis castra figuris
 Fallere molitur, nam clausi sæpè dolosas
 Experti insidias, plures fodere meatus,
 Et velut ingentem sacro sculpsere labore
 Sub tellure crucem, qua munirentur ab omni
 Demonis incurſu, & versutis fraudibus hostis.
 Non resouere datur torpenti membra quiete,
 Noctem operi iungunt, & quo maiora pericla
 Exsurgunt, tanto sumit maiora molestus
 Incrementa labor, nam dum noua vergere contra
 Muros antra vident, latebrisq̄, prioribus hostes
 Opposuisse nouas, quamuis his Gallica pubes
 Vix quicquam contra moliri mœnia posset,
 Attamen haud temerè dubia confidere fraudi
 Prudentium fuerat, quare caua semita muris
 Subditur ancipites obseruatura cauernas,
 Occultaq̄, specum longis anfractibus arcibus

Exitus erigitur, per quem lustrare licebat
Excubias hostis, cunctasq; aduertere technas.

Sic omnes artes Heroum prouida virtus
Hostilesq; dolos simili deluserat arte,
Non animus, non arma viris, nec copia deërat,
Accidit hæc fessus tantum fortuna maniplis,
Quæ crebrò dubios variabat in arce timores;
Nullus enim rumor, celerisve leuissima fama
Aura dabat reliqua patria cognoscere casus,
Haud etenim potuit veniens per inania cœli
Mobilibus pennis Senonum penetrare cohortes,
Non vbi succurrens Bauaris exercitus oris,
Castrave Casareûm degant, num cœrula Rheni
Flumina transierint, socijsq; propinqua morentur
Auxilium latura viris, an casa remotè
Viribus imparibus timeant, spes sæpè cadebat,
Mox eadem afflictis meliùs confidere rebus
Admonet, & varias vulgi victoria mentes
Crebra fouet, fessusq; viris calcaria subdit.

Tu tandem lassus ô prudentissime Princeps
Solamen dederas, dubiaq; labantia plebis
Pectora fulcieras, quæ non perferre valebas
Subsidij missus gratissima symbola præco,
Aetheræas penetrans auras, ac Gallica pennis
Castra supergrediens resonabilis attulit Echo.
Merserat vnda diem, sparso nox humida somno
Languida cœruleis inuexerat otia bigis,
Iamque ferè mediam cœli nox pallida metam
Contigerat, placidâ laxarant membra quiete
Defessi curis ciues, pueriq; senesq;
Haud tamen in dulcem vigiles sua lumina somnum

Demisere Duces, verum speculantur ab altis
 Turribus hostiles acies, si forte dolosis
 Fraudibus inuigilent, tum concutit ardua bombo
 Aethera fulmineo crudele tonans tormentum,
 Obstupere animis, & amica symbola pacis
 Fallaces tenuere dolos, ac fausta propinqui
 Traxit in aduersos mens militis omina sensus.
 Attoniti stabant, donec repetita boaret
 Machina, & alternis vicibus fragor intonat ingens,
 Exiguâq; mora posita, mox tertius ipsos
 Ingenti sonitus concussit pondere muros.
 Tum circumspiciunt, ne quid portenderet omen
 Triste mali, ac oculis circum sua mœnia lustrant.
 Tum micat à longè tenebrosa per aëra flamma,
 Collucere faces, pinguesq; ardere videntur
 Lampades, & latè circum loca sulphure fumant.
 Mox prior Egregius Carolus cognoscere pacem
 Incipit, & fatur socio signumq; salutat:
 Inclyte Kipsheffen, grauium collega laborum,
 Agnosco signum, vicini symbola fulgent
 Subsidiy, hac vaste sublimi in vertice turris,
 Quam Kerpena tenet, gratissima lumina flagent.
 O Saluete Duces, seu tu nunc agminis Hadtzfeldt
 Ductor Cæsarei, seu tu fortissime gentis
 VVahl Bauara Princeps, seu tu victorq; pauorq;
 Gallorum VVerthane Heros, ô mœnibus arcis
 Vna salus propera, videant hac agmina Gallum,
 Dux videat Guebrian, videat Rosa, truxq; Tubadel,
 Non omnes cecidisse Duces cum Principe Lamboy.

Hac tristis vulgi noua lux oblata timorem
 Lenijt, hic primùm certò sperare salutem

Sunt ausi Proceres, hac ad maiora parabas
 Clausos bella viros, nec non solatia longis
 Dulcia praebebant certissima symbola curis.
 Ha defessa faces poterant succendere bello
 Pectora, & ardentis stimulos adiungere laesis.
 Haud secus ac quando medium temerarius aequor
 Nauita puppe secat, longèq; est vtraque tellus,
 Cum mare sub noctem tumidis albescere coepit
 Fluctibus, & praeceps spirare valentius Eurus,
 Aspera crescit hyems, omniq; à parte feroces
 Bella gerunt venti, fretaque indignantia miscent,
 Et nunc sublimis veluti de vertice montis
 Despicere in valles, imumq; Acheronta videtur;
 Nunc vbi demissam curuam circumstetit aequor,
 Susplicere inferno summum de gurgite caelum,
 Ipse Gubernator tendens ad sidera palmas,
 Immemor artis, opem votis exposcit opimis;
 Si fortè obducto nimbis oriantur Olympo
 Tyndaride fratres, fidissima Numina nautis,
 Aut quoque noctiuage tollat Pharos amula luna
 Lumina, & emisâ tenebras face dissipet atras,
 Spes amissa redit: sublimis in aëra malus
 Erigitur, ventis tenduntur vela secundis,
 Atque iubet laceram remis impellere nauem,
 Et freta pertasus, quae proxima littora cursu
 Contendit petere, & tuto se condere portu.

Audijt, hac etiam clausa Dux libiger arci
 Signa dari, sociasq; manus succurrere fessis
 Pertimuit, tacitumq; fouet sub pectore vulnus.
 Continuo pugna accendit maioris imago,
 Magnanimumq; Rosam vocat atrocemq; Tubadel

Ducto-

Ductores, tumulumq; capit, quo cetera Gallum
 Concurrit legio, non arma fremientia densi
 Deponunt, celfo medius stans aggere fatur:

Ne qua meis esto dictis mora, sic ego mando,
 Neu quis ob inceptum subitum mihi segnior ito,
 Arcem hodie, causam belli, murosq; proteruos,
 Ni frenum accipere, & victi parere fatentur,
 Eruam, & aqua solo fumantia culmina ponam.
 Venturum auxilium clausis tormenta maniplis
 Dira fremant, prius hi referent immania muri
 Rudera, quam Bauari populi, vel Casaris atrox
 Agmen adesse queat, ne nos quoque forte premamur
 Obsidione pari, maneantq; miserrima fata.
 Hoc caput o Proceres, hac belli summa nefandi.
 Currite in arma citi, ferroq; retundite turpe
 Dedecus, à trucibus clausa latronibus arcis
 Spretus Ego, spretiq; Duces, vnâq; protervè
 Vester spretus honos Socij, nil tela nec ignes
 Obstiterint, quin ausa luant, nostrisq; sub armis
 Captiuo terram moribundi vertice pulsent.

Dixerat, atque animis pariter certantibus omnes
 Dant cuncum, densâq; ad muros mole feruntur
 Sueci Hastiq; Duces, equitumq; exercitus omnis
 Compositi numero in turmas, fremitu equore toto
 Insultans sonipes, & pressis pugnat habenis,
 Huc obuersus & huc, tum latè ferreus hastis
 Horret ager, campiq; armis sublimibus ardente.
 Nec tenet excubias circum confinia solus
 Stans fissus pedibus miles, nec castra patentès
 Per campos latè rarâ cinxere coronâ,
 Ast intra iactum teli per rura phalanges

A se seiuncta muros statione tuentur.
 Stant celeres circum pedites, hastasq; reductis
 Protendunt longè dextris, quos deinde sequuntur,
 Plumbea qui raucis bombardis spicula torquent.
 Tum verò exoritur clamor, campiq; nemusq;
 Responfant circum, cælum tonat omne fragore.

Ergo vbi septenus decimo successerat ortus,
 Ac medius terram vestiret gramine Maius,
 Dux tormenta iubet solivà statione moueri,
 Altaq; constructi nouiter iuga scandere valli,
 Vnde prainosos molitur roscidus axes
 Bosphorus, & rutili prænuntiat aurea Phæbi
 Sidera, deinde furit rabie succensus atroci,
 Et tormentorum lassis rectoribus inquit:
 Horrendis resonet mugitibus arduus æther,
 Obsessi trepident muri, perfringite portas,
 Haud secus ac præceps aries, balistave torta
 Mœnia concutiant tormenta, resolute muros
 Fulmine terribili, summâ vi pandite in arcem
 Ingressus patulos per hiantia rudera Celtis.

Nec morâ, nec requies, subito mandata capeffunt,
 Extemplo tormenta boant, ac fauce tremenda
 Eructant flammâs, fundunt simul vndique tela
 Crebra nuuis ritu, non prima sequentibus vnquam
 Cedere sat poterant, ast vltima spicula primis
 Maiores addunt vires, paribusq; lacertis
 In muros redeunt, binog; refusa tumultu
 Subducunt lapides, cælumq; obtexitur vmbra.
 Non sic Amphion veteris fundamina Thebes
 Condens commouit salientia saxa canendo,
 Quam tormentorum rauco tremefacta boatu

Stridula nunc misto rapiuntur in aethera plausu,
 Paulatim crebro concussa verberè densi
 Compages muri magno soluuntur hiatus,
 Dein ingens nutabat onus, velut abdita terra
 Viscera concuteret quærens erumpere ventus,
 Immo ipsam arcem mirata est stare iuuentus,
 Fulminea glandes ingentia saxa resoluunt,
 Et crudo tincta labuntur sanguine cautes.
 Tandem pars ingens murorum ingente ruina
 Corruit, & magnam lato dedit ore fenestram.
 Apparet domus intus, & atria longa patefcunt:
 Armatosq; vident stantes in limine primo.
 Cumq; frequens aditus Celtis per aperta pateres
 Rudera, depositâ rabie tormenta quiêrunt.
 Increpuere simul feralia classica signum,
 Horribilesq; iubent litui perfringere densos
 Frendentesq; globos, qui se opposuere ruinis
 Murorum, raptis concurrunt vndiq; telis,
 Accelerant pariter latas penetrare lacunas,
 Pars fossas implere parat, pars scandere vallum,
 Pars credens clausos miserâs petisse ruinas,
 Affixis scalis stantes transcendere muros.
 Nec tamen assueti latebris inuadere aperto
 Pectore nuda virum laceratis agmina muris
 Audèbant, sed operta leui tellure regebat
 Vineâ quemque sua, & coniectâ fronte latentes
 Sub textis fragili de vimine corbibus omnes
 Haud secus ac pluteis, celeres ad diruta gressus
 Mœnia frendentes stimulante cupidine tendunt,
 Et veluti, quando rauco sonat ore subulcus,
 Annosq; sedens sublimi in vertice quercus

Ingenti duros concussit arundine ramos,
 Setiger immundo consuetus viuere cæno
 Grex petit immani decussus robore glandes.
 Aut veluti, quando sparcus emissus ab haris,
 Consuevit cupido lintres inuadere rostro.
 Vtque cito sœuit socios præuertere cursu
 Pauper inopsq; Codri ac tri fraterna caterua,
 Cum videt è loculis pretiosa numismata spargi:
 Sic quoque festinant per hiantia mœnia Galli
 Diripere obsessam prædam, pars pingue camino
 Lardûm auferre parat, vacuiq; repellere ventris
 Crudelem rabiem, cuius coëuntia longas
 Sunt mirata moras rutilantia cornua lune.
 Pars inhiat tumidas gazis emungere cistas,
 Pars dictis stimulat equos, macieq; trementes
 Non captâ sterili vanè solatur auenâ
 Sed miseranda cohors longam spe pascit inani
 Quadrupedumq; suamq; famem, nam uscula clausi
 Sic importunis coxère calentia bullis,
 Vt vacuos stomachos ac ora famelica feruens
 Incensusq; cibus rapido vastauerit aestu.
 Nam veluti moles vastum qua prodit in æquor,
 Obuia ventorum furijis expositaq; ponto,
 Vim cunctam atque minas perfert cœlique, marisque,
 Obsessi immoti stabant, nec ab ordine cedunt,
 Sed seseis aly dura in certamina rursus
 Succedunt, animasque in aperta pericula mittunt,
 Ac vltro lateris mutant mœnibus hostes,
 Pars suda, pars iaculo, pars saxis hostibus instat.
 Tum veluti, quando liquidas infecerit auras
 Pestis dira luos, volucres torpentibus alis

Pondere suppressitur: concentibus aëra replent,
 Quin quoque Tibicen dulci modulamine lenis
 Prælia, & obtusas inmitti murmure seuæ
 Inter bella tubæ permulcet cantibus aures,
 Iam Germanorum primævum Teutona Patrem,
 Iam quondam tinctum Romano sanguine Rhenum,
 Aut Capitolinâ strepitu canit anseris arce
 Expulsos Celtas; simili quoque strage repulsam
 Passuros horum, Domino miserante, nepotes.
 Vtque Coloniadum clarissimus author Agrippa
 Primus Agrippinæ dederit sua nomina muris.
 Non magis Argolicis populis modulamen amœnura
 Exaudita chelys sonuit, licet ipsa feratur
 In vastos muros posuisse volantia saxa,
 Quando Amphionio vallavit pectine Thebas,
 Ac silice aggeribus per se scandente vocatis
 Iussit in immensum cantatas surgere turres.
 Non magis insonuit dulci lyra carmine, diras
 Qua tenuit Phocæas, & in omni Protea forma
 Traxit, ut aquoreo portaret Ariona dorso.
 Hic mage iucundo labro percurrit hiantes
 Tibicen calamos, referunt ad mœnia tantus
 Intonsi montes, arguto murmure latè
 Replentur campi, dederunt quoque gaudia grati
 Hostibus inuitis iræ commissa susurri.
 Iesiades veluti cantor Rex atque Prophetæ
 Horribilem studuit rabiem placare Sæulis
 Dulcisonis cythara modulis: sic iste furorem
 Flectere Gallorum Tibicen carmine tentat,
 Vincere linquentes vitam quo posset olores:
 Nil tamen inflexit dulcissima tibia duri

Ductoris mentem, sed ceu Saul impius ira
 Maiori stimulat'us erat modulante Dauide,
 Et simul ingentem quatiens Rex improbus hastam
 Cum cytharâ vatem telo transfigere eodem
 Bis conatus erat, sin' casso vulnere vires
 Seu a per oppositos sedasset lancea muros.
 Haud secus audito Guebrian tibicine sese
 Contemni credens magnas surrexit in iras,
 Et propè legiferas ades, Patrumq; senatu
 Assuetas, media densa caligine noctis
 Erigitur velox agger, quem pondere vasto
 Bina premunt tormenta, truci quæ fauce tremendas
 Semicolubrinas moles æquare putares.

Hinc vbi fulserunt primis Phaëtonia fræna
 Ignibus, atque sui terris rediére colores,
 Idibus à Maijs septenâ luce micabant,
 Cygnigem Fratres, positam mox concutit arcio
 Ante fores turrim telorum ferrea grando,
 Iamq; aliquos muris subducere cœperat orbes,
 Tum requiem tribuit nitrosi pulueris ingens
 Pauperies, vasto tormenta quiescere rictu
 Coguntur, nec iam patitur mora plena periclis,
 Vt priùs, hereticam rursus deposcere gentem,
 Traiectoq; nigri conquirere pulueris vsum.
 Hic plenis animo se desperatio habentis
 Infudit Guebrian, varijs cor motibus heret,
 Et modo desperat, modo vult tentare, pudetq;
 Et cupit, & quid agat, non inuenit, vt que securi
 Saucia trabs ingens vbi plaga notissima restat,
 Quo cadat in dubio est, omnig; à parte timentur;
 Sic animus vario labefactus vulnere nutat,

Huc leuis atque illuc, momentaq₃ sumit vtrinq₃
 Hinc pudor aeternumq₃ probram deterret abire,
 Obsessamq₃ arcem captumq₃ relinquere pagum.
 Ast hinc dira fames, extremaq₃ pulueris atri
 Pauperies, ingens sociorum mortua strages,
 Pars misera fama, cecidit pars altera ferro,
 Clausorumq₃ virum virtus heroica, vinci
 Nescia, spem modicam tenues diffudit in auras,
 Quam pudor opprobriq₃ metus pascebat inanem.
 Sic medius Senonum Dux inter spemq₃ metumq₃
 Stabat adhuc, reliquiq₃ Duces Rosa truxq₃ Tubadel
 Non minus attoniti tacita sub mente timorem
 Dissimulant, agitantq₃ fugam: tum verus anhele
 Adueniens cursu replebat nuntius aures,
 Caesaris & iunctis Bauari Ducis agmina signis
 Sub Duce quaq₃ suo gelidi vada caerula Rheni
 Omni velle die iunctis transmittere proris.

Caesaris Aquilis bello fortissimus Heros
 Illustrisq₃ Comes praerat Dux Melchior Hatsfeldt;
 At Bauara gentis simili Dux sanguine cretus,
 Cui geminum nomen genitor dat virginis alma
 Ter sanctus primum, ast à Saluatore secundum
 Verus Christiades fausto trahit omine Christo,
 VVahlpius atque potens cogebat in arma cohortes.

His dictis maior Proceres circumstetit horror,
 Et timor occultus patefit, simulatq₃ dudum
 Mente fuga exeurit, votis communiibus arcem
 Soluere decernunt, timidusq₃ recedere castris,
 Ne forte hostili caeca sub nocte corona
 Conclusi certo miserè frustrentur asylo.
 Ergo festinos praecones mittit in omnes

Circum castrorum latebras, lectisq; cauernis
 Defessas peditum turmas equitumq; phalanges
 Missa fraude iubet superas prodire sub auras,
 Ac vbi depulsis Cythereius orbe tenebris
 Lucifer auroram natalibus euocat vndis,
 Iuxta vicinum pagum (dixere Coloni
 Conratzheim) cunctos glomerata per agmina stare.
 Illi iussa ferunt, volitatq; per equora crebris
 Actus equus stimulis, velox quatit vngula campum;
 Haud aliter paribus nitens Cyllenius alis,
 Atque citis pedibus talaria fulgida nectens,
 Dum fert iussa Iouis, fulgencia nubila tranat.

Necdum detulerant Comitibus mandata per omnes
 Castrorum fines, sed adhuc loca proxima castris
 Turma tuebatur vigilum, quae nescia turpem
 Indictam per castra fugam, stimulabat acerbis
 Dictis & patri clausos sermone cachinnis.
 Haud passi sunt probra Duces, placet impia dicta
 Audaci, franare dolo, mandantq; per antrum
 Nonnullos exire foras, vigilisq; superbos
 Circuitu longo valida circumdare turinâ.
 Dein prohibent responsa dari, paribusq; cachinnis
 Irridere sales, ast alta silentia cunctos
 Obseruare iubent, & tecto vertice retro
 Erectas moles pressis consistere linguis.
 Instat Galla manus validis clamoribus extra,
 Dumq; notant nullos per nenia clausa vagari
 Armatos vigiles, nullosq; remittere sannos.
 (Soli straminei pedites & ligneus errat
 Per muros commissus eques) sic nescio quanam
 Subrepsit spes vana viris (si nomine tali

Condignos hos esse putes) quâ forsan acerbâ
 Sorte teneretur castrî taciturna iuuentus.
 Tum magis è reliquis audax viciniùs arcem
 Suspensis petijre plantis, ac talibus vrget:
 Quid facitis miseri? cur inconsueta tenetis
 Pressis ora labris? cur muris excubat altis
 Ligna sola cohors? nam longâ garrula languet
 Lingua fame? fessosne grauis sopor occupat artus?
 Ehe! cur adeo crudeles sortis iniqua
 Stat casus tolerare viri? quid? nonne putatis
 Suauius esse malum victos vos subdere Regi,
 Immenso cuius pietas celebratur in orbe?
 Talia confuso gemitu permista vomebat
 Scommata, & insultans propius tendebat ad arcem;
 Clausorumq; petiit responsa, sed vnus ab antro
 Occultâq; specu miles prolapsus in agros,
 Et dumis post terga latens, tonat acer in aures
 Bombarda sonitu tam grandia fulmina vocis,
 Fiat ve elinguis, surdaster & orbis ocellis,
 Coucidit, & multo vitam cum sanguine fundit.
 Hac vbi percipiunt tam tristia verba sodales,
 Quæ tantæ virtutis erant, vt proximus omnes
 Eriperent sensus, grauiter sunt tale perosis
 Colloquium; nec plura viro responsa remittunt,
 Sed super hinc illinc cumulum discurritur armis
 Projectis, veloxq; quies fit in aere, solum
 Sub pedibus resonat Gallorum concita tellus.
 Sed nouus inde timor, pauidi vix terga dederunt,
 Ac armata cohors, quæ cautum elapsa per antrum,
 Per campos circum strictis apparet in armis.
 Astonisi trepidant, per latos corripit agros

Distinctam sibi quisque viam, quo longior inter
 Obstantes hostes patet exitus, inde citatus
 Euolitant pedibus: sic saui, bella leones
 Quando dira mouent inter se, & murmure anhelos
 Squalentes campos & longa mapalia complent,
 Omnis in occultas rupes atque auia pernix
 Maurus saxa fugit, coniuxq; Libyssa profusa
 Vagitum cohibens suspendit ab vbere natos:
 Sic quaque liligeri vigiles, sed non dabat atrani
 Clotho dura necem cunctis euadere, sed pars
 Sanguinis vna vomens riuos cadit, atque cruentam
 Mandit humum, moriensq; suo se in vulnere versat:
 Pars quoque parua manus, nec non sine sanguine crebra
 Tela penetravit, celeriq; furentia fata
 Praeterit cursu, solus vigil vnus in arcem
 Captiuus trahitur, quem vitâ clausa iuuentus
 Donauit, si, quos Proceres referare iuberent,
 Panderet arcanos astra: ast ille tremiscens
 Membra, lubens spondet notas edicere fraudes.
 Vix pedicis vinctus clausam peruenit in arcem,
 Mox auida captum circumstat plurima plebis
 Concio, mista viris virgo ruit, omnis in vnum
 Turba coit cumulum, quarendoq; multa fatigat
 Vinctum, narrandis arrectas porrigit aures,
 Hic petit an veniat succursus Caesaris, ille
 Quid sibi portendant flammaram incendia nuper
 Visa procul castro, plures quot funera clausi
 Ediderint, qualesve ferox Dux liliger astus
 Intendat, poscunt, alij num fessus iniqua
 Obsidione breui conclusam deseret arcem.
 Ille precans choro donari munere vitæ,

Omnia nota sibi longo satis ordine narras,
 Attamen haud potuit vicinam prodere Nostris
 Aere cauo sonuisse fugam, nam praeco frementis
 Promulgans optata Ducis mandata, caballo
 Extremos necdum perstrinxerat alite fines.
 † Gallicus interea furys agitatur iniquis
 Plurima flammato secum Dux corde volutans,
 Quo primum capienda fuga, aut vbi castra locare
 Expediat, fessosve queas refouere maniplos;
 Nunc Marcoduris fugitiuas condere muris
 Mens iubet agra manus, & mox Kempenâ videtur
 Tuta magis, tum deinde placet confidere campo,
 Et varios colles turrîtâ cingere fronte.
 Sic suadet diuersa timor, super omnia turpe
 Vlscisci subit ira probrum, sauumq; furorem
 Horribili busto ac vastâ satiare ruinâ.
 Hinc mandat subdi prostratis manibus antra,
 Fatalesq; sodi caueas, vterosq; nefandos
 Nigro impregnari, pro formidabile monstrum!
 Puluere, qui pariat muris miserabile fatum,
 Nitrosi restabat enim prouisioparua
 Pulueris, vt valido bombardas incitet ictu,
 Quem vasto haud dederant tormenta absumere ictu.

Quis Deus ô Musa calamo perstringere possit
 Quantos, iussa Ducis dum rauco nuntius are
 Intonat, ediderint hilari de pectore plausus
 Enerues Galli? diuturno tempore quales
 Carcere cimmerico & spissa caligine septus
 Edere saepe solet, dum nexus atque catenas
 Soluendas iudex venturâ luce spondit:
 Vel quales dudum patrijs è finibus exul

Promit, dum longis tandem reuocatur ab oris:
 Vel quoque quos dubiâ miles statione relictus,
 Excubiasq; hosti vicinas ducere iussus,
 Dum successurum videt aduentare sodalem;
 Tali defessos instans fuga crastina Gallos
 Perfudit iubilo, iam circum castra perosa
 Stant rari vigiles, iam nullos mœnibus astus
 Intentant clausis, verum per castra specusq;
 Pars aptabat equos, pars si qua fortè manebant
 Chara, suis religant in comoda pondera tergit.

Nescius vsque modo conclusus in arce propinqua
 Miles plebsq; fugâ, mirantur nulla per auras
 Incerto resonare tono maledicta furentium
 Gallorum, mentesq; subit certissima fraudum
 Suspicio, dubiosq; ardent cognoscere casus.
 Ergo vbi bis dena rutilans Hyperione natus
 Addiderat sextam lucem, cursuq; peractò
 Quatuor exceptis Mainis finiuerat ortus,
 Pronus erat Titan, inclinatoq; petebat
 Hesperium temone fretum, tempusq; subibat,
 Quod quis nec tenebras, nec possit dicere lucem,
 Exploratores memoratum quinque per antrum
 Prorepunt ex arce foras, & Gallica caute
 Castra dolosq; notant, sed dum nil ante sagaci
 Percipiunt, vigiles statuunt inuadete furim,
 Suspensosq; gradu pergunt, vigilumq; patentes
 AEdiculas modico compactas asserere instrant,
 Sed cum nequaquam vigili statione teneri
 Castra vident, celeres elapsa circiter horâ
 In castrum remeant, & quid portendere mirâ
 Attoniti referunt, nullos aduersa tueri

Aguina per gyram vigilans: haec dicta stuporem
 Incutiunt clausis, & pars haec omina credit
 Fausta, trahit dubiam reliquis sententia mentem.

Ast ubi iam placidam carpebant fessa quietem
 Corpora per terras, sylvaq; & seua quierant
 AEquora, cum medio voluuntur sidera lapsu,
 Cum tacet omnis ager, pecudes, pictaq; volucres,
 Insomni vigilans soli statione tenebant
 Mœnia, tunc Guebriam facinus crudele, furorem
 Testans, armorum aggreditur turantibus umbris.
 Iusserat immitti restantibus adibus ignes,
 Ac tacitâ spargi celata incendia nocte.
 Inde ubi collecti rabidam diffundere pestem
 Ceperunt ignes, & se per pingua magno
 Pabula ferre sono, clarè exspatiantur in auras,
 Et frons volucris propellunt lumine flammæ,
 Itoto truculenta lues cum turbine vico,
 Atque alimenta vorat strepitu Vulcanus arctelo
 Arida, & ex omni manant incendia caelo.
 Ut solet incautis surgens Pastoribus ignis,
 Qui furtim siccis primis sub cortice cœtus
 Robora comprehendit, frondesq; elapsus in altas
 Ingentem caelo sonitum dedit, inde secutus
 Per ramos victor, perq; alta cacumina regnat,
 Et totum inuoluit flammis nemus: omnia sic mox
 Explicat in flammâs, clarosq; incendia campos
 Lumine perfundunt, respondet imagine flammæ
 Aether, & in clauso vibrant incendia castra.
 Sentitur plerisq; prius quam cernitur ignis
 Excitis somno, clausorumq; ora vocantum
 Auxilium inuadit furus, fuit vndiq; victor

Mulciber, & rapido complexu tecta laresq;
 Corripit, exundat pestis, semiuस्ताq; ligna
 Ardenti volitant per nubila summa fauilla.
 Quis diros vrbis casus, miserandaq; monstra,
 Et fidei pœnas, & tristia facta piorum
 Temperet euoluens lachrymis? vix Gallica fletu
 Cessassent castra, & miserescere nescius hostis.
 Vrbs habitata diu fidei, & pietatis auita
 Insignis sedes ruit inter perfida gentis
 Liligera tela, ac horrenda incendia noctis.

Tandem dum plenis scuit Vulcanus habenis,
 Ad portas furibunda cohors fuligine sparsa
 Os oculosq; nigra, ruit, vt funesta sororum
 Turba, implexa feros atris pro crinibus angues,
 Euolat in lucem stygijs emissa tenebris.
 Mox binam denso circumdant agmine portam,
 Extremumq; fuga signum, rabidiq; furoris
 Exspectant finem: tum Dux sceleratus in altum
 Puluere succenso iactari mœnia mandat.
 Hic subitus scisso densa inter nubila cœlo
 Erupit quatiens terram fragor, & super arcem
 Euolitant silices, liquefactaq; saxa per auras
 Cum strepitu sese glomerant, & sidera lambunt,
 In vastum cumulum lachrymosi mœnia vici
 Procumbunt equata solo, magnâq; ruina
 Arx tellusq; simul nutabant sedibus imis:
 Sic vbi torrentem crepitanti grandine nimbum
 Illidit terris molitibus Iupiter altas
 Fulmine nunc Alpes, nunc mista Ceraunia cœlo,
 Intremuere simul tellus & pontus & æther,
 Ipsaq; commoto quatiuntur Tartara mundo.

Hei qualis facies vr̄bis! quam lugubre bustum?
 Non aliter quam si rursus ruat igne vetusta
 Carthago, aut antiqua Tyros, nec tristior olim
 Forma fuit, quando cecidit Neptunia Troia,
 Aut cum Mesouica nouiter fuit vr̄bis auarum
 Excidium penitus vastantibus omnia flammis.
 Surgit imago ferox veteris Sodomā atque Gomorrhā,
 Nil nisi quam cineres post tanta incendia linquens,
 Excipe quod veluti deserto rarus in horto
 Flosculus, in uerperi præfulgida gemma cloacâ,
 Omnibus exustis Ecclesia sola remansit.
 Hic tamen obserua queso in Candide Lector,
 Qualis victa ferox intrauerat oppida Ductor,
 Talis abit putido post se fœtore relicto,
 Igneus intrauit, pariter nunc igneus exit,
 O uinam tandem non igneus ipse periret!

Haud tamen excidio vacua Dux Liliger vr̄bia
 Frenauit rabiem, flammâ crescente capeffit
 Incrementa furor, cunctos flagrare iubebat
 Per gyrum pagos, turpisq̄, immania turpes
 Poscit busta fugæ testes, placatq̄, nefandam
 Pectoris insani bilem, quod linquere victus
 Inuictam patria victor sic debeat arcem.

Mox omnis circum regio, prô stebile dictu!
 Immesos prospecta fuit considere in ignes,
 Tum Deus ignipotens AËtne candente barathro
 Atrâ nybe latens flammantia protulit ora,
 Euolat horrendo fridore, ac vibrat vtrâq̄,
 Sceptra manu trucibus passim circumlita tadis,
 Hic per tecta leui calamo cannâque palustri
 Intertexta furit, per sacra prophanaq̄, tecta

Correptis subito medijs extenditur vna
 Perque nouem magnos acies Vulcania pagos,
 Nam simul Erp, Brucken, Conradzheim, Gimmenich,
 Harrich,

Dirmetzheim, Bleisheim, Kortinggen, atque V Pilers-
 vveis

Concepere faces, vastamq; tulere ruinam.
 En quia non potuit victa Dux Celticus arce
 Lechniacâ seuos animi sedare furorés,
 Hinc simul innocuos insit succendere pagos,
 Ardentemq; putat flammis extinguere mentem,
 Falleris, haud ignem similem sibi temperat ignis,
 Sed superinfuso moderamur flumine flammâ,
 Ergo subi Rhenum, glaciali frigore Rheni
 Ignis mitescet, qui non mitescit ab igne.
 Quid iuuat insortes flammis subuertere pagos?
 Sic canis in saxum, quod nunquam laserat, oris
 Exercet rabiem, & mordaci dente notatur,
 Qui tacitus transit per publica strata, viator.
 Diuerso interea miscentur moenia luctu,
 Et magis atque magis vigilum clamore iacentes
 Terrentur ciues Proceresq; & cuncta iuuentus,
 Excutiunt somnum, summâq; cacumina castris
 Ascensu superant, arrectisq; auribus astant:
 In segetem veluti cum flamma furentibus Austris
 Incidit, aut rapidus montano flumine torrens
 Sternit agros, sternit sat a lata, boumq; labores,
 Praecipitesq; trahit sylvas, stupet inscius alto
 Accipiens sonitum saxi de vertice Pastor.
 Ingentes subito gemitus miseriq; tumultus
 Miscentur, penitusq; cœcâ clamoribus arces

Fœmineis ululant, ferit aurea sidera clamor,
 Attonitæ tectis matres ingentibus errant,
 Et fletu priguas tendunt ad sidera palmas,
 Quæque per obscuras tenebras sua tecta tueri
 Nuttur, an mixtas fumo laquearia flammæ
 In cælum virent, an forsân sorte benigna
 Igibus horrendis erepta illæsa supersint,
 Damq; infumantes humentia lumina flammæ
 Vi nimia torquent, oculi teneraq; rigescunt
 Palpebra, & tetro fuscantur lumine flammæ.
 Pars vigilum lapsi per cauta foramina in vrbes
 Scrutantur fraudes, & pars vestigia turris
 Conscendunt auidi dubios cognoscere casus.
 Sic dudum ancipiti presse formidine mentes,
 Ac varium fraxit timor in contraria vulgus.
 At Proceres quæquam terrent immania facta,
 Attamen inuictam pariter contra aspera mentem,
 Et magnos tollunt animos, iuuat ire periculis
 Ad decus, & dextrâ memorandum condere nomen,
 Quale dedit nunquam rebus fortuna secundis.
 Obstupuere diu, quidnam portenderet urbem
 Incendi captam, spargiq; per æthera muros,
 Tum vero aduertunt fraudes, hostisq; patescis
 Et timor, ac instans primo fuga sole reuerso.

Tandem lux surgit, sensimq; abeuntibus vmbriis
 Conscia nox sceleris roseo cecidit Eoo,
 Et vix manere rubens pulchros aurora colores
 Induerat, rabidq; furor defecerat ignis,
 Exstinctoq; rogo cæcâ caligine adustus
 Stipes adhuc fumat, cum lata per aquora circum
 Ferrea condensis acies apparet in armis,

Eripuitq; oculis terram, fusiq; per agros
 Exspectant pedites equitesq; optata futura
 Signa fuge, nam Dux Guebrian qua lata patescit
 Planities, postitis subsistere iusserat armis,
 Et solis reditum simul expectare phalanges.
 Hastiacis frons leua datur, per cornua Suecos
 Dexterora locat, medio braccata iuuentus
 Circumcincta iacet, hijugis onerosa parantur
 Tormenta, & longo desessas ordine fauces
 Auertunt muris, ac irrita vulnera lugent.
 Ast aurigarum maioribus anxia curis
 Sustinet ante alios ingentes turba labores:
 Hic ligat axe rotas, hic sub iuga ferrea mittit
 Cornipedes, rigidisq; docet seruire lupatis,
 Cum rapidis hic tota rotis cita plaustra perungit,
 Et querulo stridore fugam plorare coërcet.
 Minc eques aptat equum, pedes inde molesta coaptat
 Pondera suppresso dorso, cunctiq; parati
 Esse student, primùm cum præco inflauerit ære,
 Confusis Senonum resonant mugitibus arua,
 Fitque vagus clamor, qualis resonantibus olim
 Exoritur caueis, quoties crinitus Ephæbus
 Aut rigidam Nioben, aut flentem Troada fingit.
 Non aliter (si parua licet componere magnis)
 Cecropia in pratis vbi apes æstate serena
 Floribus insidunt varijs, & candida circum
 Lilia funduntur, strepit omnis murmure campus.
 Denique Gallorum visurus tergora Titan
 Profliuit stratis, altoq; micabat olympo,
 Mox resonant litui, percussaq; tympana rauco
 Murmure dant fractis velocia signa manipulis,

Inque fugam ara vocant, subito mandata capeffunt,
 Atque omnes vno ore simul fremuerè phalanges
 Quantum non Italo percussa Ceraunia fluctu,
 Quantum non madidis illisa tonitrua Coris,
 Immensusq; fragor pulso geminatur Olympo.
 Vrgeri eripides, spuminq; ignescere fræna,
 Pulueris extolli nimbos, altoq; videres
 Surgere candidulis vndantes floribus hastas,
 Liligeroq; polum rutilum candore micare.
 Horridus implet agros ferri nitor, anxia pubes
 Protinus excitis iter irremcabile signis
 Arripit, in fausto sparsim bubone mouentur
 Agmina, Kempenses fugitiua feruntur ad oras.
 Tum peditem præcedit eques, post tergora plaustra
 Tormentis onerata gemunt, quæ deinde sequuntur
 Inde ores coctus, varium sine nomine vulgus.
 Ipse Comes dâniâ ceruoq; fugacior ibat
 Sudanti tremebundus equo, stimulat inertem
 Nunc terror, nunc ira animum, nunc dedecus ingens.

Aspice quam rarum referens inglorius agmen
 Lechnichio detrusus eat, quantumq; priori
 Disunilis, qui cuncta sibi cessura ruenti
 Pollicitus stygios iurauerat impius animes,
 Non nisi perpetuo muris discedere probro.
 O rerum satiq; vices! qui dira parabas
 Funera Lechniadis, vidit de gente suorum
 Innumeros cecidisse viros: qui mente profunda
 Hauserat arcis opes, vltro victoribus ipsa
 Præda fuit: cuius felix victoria fastu
 Inflauit mentem, rursus formido superbitur
 Electis, & assuetum spolij affligit egestas.

Quis Musis ipsoq; licet Paane recepto

Enarrare queat, quantos sol aureus arci
Luce sua in bilos eulerit? quot gaudia clausis
Hec fuga causarit? citius quot cerula pisces,
Quot noua terra parit flores, quot Gargarâ messes,
Poma quot Autumnus, quot baccas Palladis arbor
Nutrit, & hybernos pariter numeraueris umbres.
Vix simili (quis enim credat) Bethulia moerens
Leticia perfusa fuit, dum Meraris hoste,
Cuius falcato truncatâ acinace collum,
Prostrato redisset ouans, vrbeinq; solutis
Assyris castris rigido subduxerat ensi.

Exoritur clausâ mirandus in arce triumphus
Tristia iam dudum blandâ dulcedine mulcens
Pectora, iucundis solatur plausibus omnis
Turba exantlatos duro sub Marte labores,
Omnes cum iuuenes, omnes spreuere pudorem
Gaudendi studio matres, puerisq; seueri
Cerpauere senes, ruit intertexta puellis
Ad numeros cythara iuuenumq; senumq; coronâs
Impleuere domos & cuncta cubilia castris
Iucundasq; hilari referunt cum carmine voces,
Hostis abit, fugit hostis, iners en Celta Suëco
Mistus abit, clamant iteratis vocibus, atque
Exultabundi glomerant, seseq; salutant.

Hac plebs, ast pedites, nulli discedere muris
Permisere ioci, sed pars in mœnibus altis
Excubias pro mœre tenet, pars standit in altis
Turres, ac falsis abeuntia signa cachinnis
Excipiunt, regerunt confusos equora sannos:
Currite, sublati proclamant cunctis armis,

Curri-

Exanimis voluuntur humi: sic quosque priores
 Diruta Gallorum scandentium mœnia castris
 Lethiferis bombardis globis infecit, & exstis
 Inspirat nocuum virus, piceumq; per artus
 Dissipat, & medio spargit pulmone venenum.
 Sternitur omne solum telis, tum scuta cauiq;
 Dant sonitum sictu plutei, pugna aspera surgit:
 Quantus ab occasu veniens pluuiialibus hœdis
 Verberat imber humum: quam multâ grandine nimbi
 In vada præcipitant, cum Iupiter horridus Austris
 Torquet aquosam hyemem, & cœlo caua nubila rumpit.
 Horrenda ante oculos strages, circumq; patebat
 Insani Mauortis opus, simul arma, virique,
 Ac mistus sonipes, dextræq; in vulnere, casti
 Herentes hastis, passim pluteiq;, cubæq;
 Atque artus trunci capitum, fractusq; iacebat
 Osibus in duris ensis, nec cernere deêrat
 Frustra seminecum quærentia lumina cœlum;
 Preparat innumeras puppes Acherontis, adustis
 Portitor, in multas laxantur Tartaræ cenas.
 Vix operi cunctæ dextrâ properant, & sorores
 Sufficiunt lassant rumpentes stamina Parcas.

Talia spargebant per mœnia funera clausi.
 Tum Mars armipotens animum viresq; ministrat
 Clausis, ac acres stimulos per pectora mouit,
 Immissiq; fugam Gallis, atrumq; timorem.
 Plebs braccata fugit trucidibus permixta Suëcis,
 Abiectis pluteis nudo omnes spicula tergo
 Excipiunt, non gaza vel vlla pecunia cordi;
 Non tristes epulas, non pingue famelica lardum
 Ora petunt, sed fasâ fugâ præuenter ec curant.

Non aliter quando coquo inaduertente culina
 Irrepens si fortè canis feruentibus vndis
 Molliri videat carnes, stimulat us acerba
 Vesanaq₃ fame mox inuolat ore voraci
 In calidos latices & athena vndantia flammis,
 Retrahit ora fremens, seuisq₃ vlulatus audax
 Ipse scelus prodit, crebris luit ictibus ingens
 Crimen, & à rabido prostratus vapulat atro
 Fuste coquo, portâ patefactâ deinde culina
 Euolat, & latrans seuos vliscitur ictus,
 Iamq₃ sedens querulos ex imo pectore ducit
 Singultus, ac sepè gemens fera verbera lambit:
 Sic quoque Celta vorax iniustus fercula labris
 Contaminata luit, statusq₃ per aquora passim
 Diffugit, atque vias maculat spumante cruore.
 Liliger ipse fuga præfulgens Ductor in ostro
 Terga dabat, sed sepe retro vertebat ad arcem
 Lumina, sepè fuga timido cum milite mixtum
 Ductorem dare terga pudet, ceu turba leonem
 Cum telis premitur insensis, ac territus ille
 Asper acerba tuens ostro redit, & neque terga
 Ira dare, aut virtus patitur, nec tendere contra
 Ille quidem hoc cupiens potis est per tela virosq₃
 Haud aliter profugus Guebrian vestigia retro
 Improperata refert, & mens exastuat ira.
 Dumq₃ fugit pauidus, variasq₃ in pectore curas
 Voluit, sepè volens conuersis agmina signis
 Sistere, dum etum muris astare videbat,
 Vicinasq₃ arci victis præbere latebras;
 Namque locum densi complèrant vndiq₃ sentes,
 Horrentes rubi, & amantes ardua vepres.

Mox

Mox placet abstrusis tuto consistere dumis,
 Et celeres cohibere viros: Hic stante sodales,
 Huc, ait, haudquaquam penetrabunt tela, nec hostis
 Hoc arcere loco te hinc fraudesq; valebit.
 O hic stante viri, sat satis cessimus, ipsa
 Haud ultra fortuna premit. Sic factus in alto
 Colle prior sedit, tum caetera turba virentes
 Exemplo dictisq; Ducis commota per herbas
 Voluitur, & circum misso procul ordine late
 Per tenues resident salices, humilesq; gemstas.
 Hic Dux multa rogat socios, qua funera clausi
 Ediderint, num forte Duces primiq; virorum
 Incolumes saluq; euasâ morte supersint?
 Quinam deinde viri desint, qua vulnera quisque
 Passus, an à tergo turpes susceperit ictus,
 Anve cruentârunt aduersas spicula frontes.
 Sed timor oclusit fauces, & gutture presso
 Vocis iter, cunctiq; silent, pars vltima vocis
 In medio suppressa sono est, adaperatq; velle
 Ora loqui credas, nec sunt ea peruia verbis.

Iam Tartesiaco submerserat equore Titan
 In noctem diffusus equos, finemq; dedere
 Cadibus obscura subducto sole tenebra,
 Iamq; quies modicum curis gelidoq; pauore
 Pectora laxarat, tum Dux sub pectore versans
 Instantes hostes, nullo munimine cingi
 Rem nimis audacem duxit, rursusq; labore
 Saucia membra grauat, caucisq; irrepere terra
 Castra iubet, lacerisq; cauas subducere muris
 Speluncas. Hec dicta Ducis strinxere stupendo
 Membra gelu, stolidoq; metu, prò quanta timoris

Vis? nullus sese telis hostilibus ausus
 In densis tenebris exponere, subque viretis,
 Haud secus atque lepns, celeri pede quando fefellit
 Ora canum, tremuli latitant, potiusq³ furentis
 Ense Ducis sterni, quam iussa capescere malunt.
 Augetur sub corde Ducis timor, ira, furorq³,
 Ergo, ait, excordes vestro nunc cedo timori,
 Texite vimineos corbes, de cespite duro
 Praesidium sibi quisque parat, glebâq³ tumentem
 Hostibus obijciat molem, timidusq³ repellat
 Spicula corporibus, pauida citò iussa cohortes
 Accelerant implere, omnes timor impulit ingens.
 Iamq³ ferè medios caeli nox humida cursus
 Finierat, cum quisq³ suâ sub mole tremebat,
 Quisque suum portabat onus, iuxtaq³ ruinas
 Murorum sibi quisque locat, dein vberè gleba
 Quisq³ replet, circumq³ equantes mœnia moles
 Aedificant, vassosq³ dolos & corpora telis
 Occultant, foduntq³ situ marcentia longo
 Antra, velut curuis vellent penetrare latebris
 Eumenidum thalamos, tenebrosaq³ flumina Ditis.
 Postera vix summos spargebat lumine montes
 Orta dies, cum primum alto se gurgite tollunt
 Solis equi, lucemq³ elatis naribus efflant,
 Tum Carolus vigilum per diruta mœnia primus
 Excubias lustrat, circumq³ è turribus altis
 Prospicit insidias, vnius noctis iniquum
 Admiratur opus, tacitus considerat ingens
 Murorum excidium, secumq³ pericula confert.
 Prasagitq³ dolos, consuetis nempè sub imâ
 Terrâ speluncis hostes subrepere muris.

Hinc vocat in cœtum Socios, magnamq; cateruam
 Obsessi vulgi, tumuliq; ex aggere satur:

Inuicti Socj, bello quos sorte benignâ
 Delegi comites, clausi spes vnica castrî,
 Vos quoque Lechniaci ciues, populusque laborum
 Tantorum consors, extrema pericula coram
 Cernitis ante oculos, in maxima ruderâ passim
 Mœnia versa iacent, hesternò sanguine muros
 Irriguos moles hostilis vertice adequat,
 Tellus ipsa tremens, ac pulsa sonantia tristi
 Tympana mugitu solitos tentare cuniclôs
 Hostiles produnt acies, ne cedite tantis
 Quæso malis, verum nunc illas promite vires,
 Nunc animos, quales hesternâ luce furentes
 Experti Celta, quibus in squalentibus vsi
 Nuper speluncis, quæis tot decorata triumphis
 Nomina vestra volans manifestat fama per orbem,
 Quam vos victores hostilia castra pauescant,
 Indicat hæc moles, cur non per hiantia aperto
 Rudera Marte ruunt? quid opus subducere muris
 Prostratis foueas? ingens timor abdidit antris,
 Quos repulistis heri tantâ virtute per agros.
 Vicinus obsessi maiora pericula, clemens,
 O passi grauiora! dabit Deus his quoque finem:
 Maxima quippe dedit (nostis) solatia nobis,
 Vicinum fessis Kerpensia signa, notârunt
 Affore subsidium, vestris ne partibus, oro,
 Dêste viri, clausâ quas fruges hæctenus arce
 Seruastis, iustâ & facili defendite pugna.
 Dux ego primus ero, primis mea pectora telis
 Exponam, cunctosque lubens tolerabo labores

Vos precor ô iuuenes, & vos quos tarda senectus
 Urget grandaui patres, cultaq; puella
 Fœmineiq; chori nostris succurrite cœptis,
 Communi commune malum remouete labore,
 Obijcite hostili moti surgentis in altum
 Telluris tumulum, muros reparate iacentes
 Exstruite immanes scopulos, attollite valla,
 Cingite vos foueis, vastas opponite syluas.

His vbi turbatas hortatibus impulit aures,
 Attonita plebi redit in præcordia virtus,
 Iamq; vltro bellum exposcunt, omniq; relicto
 Cœtu turba ruit, sexusq; inglorius ordo
 Fœminei certat pugnas aquare virorum.
 Vltra clamor agit bellum, milesq; cupiti
 Martis inops savis impellit vocibus hostes,
 Per muros iugiter strictis errabat in armis,
 Hostilesq; specus, aditus, molemq; propinquam,
 Ne struat insidias, murisq; irrepere tentet
 Dux Gallus, vigili circum statione cauebat.
 Cetera turba locis alijs partita studebat
 In sudore libens opus exercere salutis.
 Hi fractis fossas instant producere muris.
 Hi portarum aditus (vt rerum est copia) firmant,
 Quaque patet castrum planis ingressibus hosti
 Ceruorum ambustis imitantur cornua ramis.
 Ac velut ingentem formica farris aceruum
 Cum populant, hyemis memores, tectiq; reponunt,
 It nigrum campis agmen prædamq; per herbas
 Comportant calle angusto, pars grandia trudunt
 Obnixa frumenta humeris, pars agmina cogunt,
 Castigantq; moras, opere omnis semita seruet.

Sic omnis populi conclusa per atria castris
 Itq; reditq; cohors, vrget, miscetq; labores.
 Hinc querulos currus auriga instante caballi
 Contentâ ceruicē trahunt, & ligna, fimumque,
 Materiaq; strues plaustro properante ministrant.
 Stant lætæ matres, ducentesq; vltima fila
 Exsanguēs vetuli, curuoq; ligonē reuersos
 Quadrijugos onerant, oneratos turba puellæ
 Debilis, & validi iuuenes, quibus integer æui
 Sanguis, quicūq; suo solida stant robore vires,
 Pondere deposito releuant, aptūq; reponunt
 Quæque locis, alijs fragiles è vimine ramos
 Vasto commiscēt operi, velutiq; tenaces
 Intexunt venas, his, quæ ceruicibus altis
 Portabant famulæ, superaddunt pondera terræ,
 Ingentemq; struunt molem, quæ vertice muros
 Prostratos æquet, cuius penetrare nequirent
 Crassitiem tormenta, nec vlla reuellere possit
 Galla manus, ne tela queant lethale venenum
 Spargere in obsessos. Alij (Sturm callidus horum
 Ductor erat) fractis obducunt mœnibus altam
 Fossam, quæ pariter Senonum tardaret apertos
 Incursum; pariterq; dolos, solitâq; sub imâ
 Suspectos tellure specus deluderet arte.

His Carolus sæuo protexit ab hoste maniplos
 Presidijs, hoc grande chaos, truculentæque moles
 Gallorum clausa furias auertit ab arce.

Iamq; adeo sese ingens sub pectore crescit
 Virtus, & tantos animos per pralia tollunt,
 Vt satis haud credant procul abiēcisse timorem,
 Sed sannis vltro latitantia castra sub antris

Ridiculisq; iocis stimulant, signoque patens
 Improperant toties ingenti clade repulsis
 Desidiam Gallus, nam summo in vertice dictæ
 Molis constituunt equites, quos arte iocosa
 Sculpserat è ligno statuarius, atque citatis
 Subdere calcare equis, quos scilicet ilice dura
 Exsecuit, mirè viua sub imagine finxit.
 Figmentum lepidum! spumantia fræna caballi
 Mandentes stabant, his vertice purpurat alto
 Fastigatus apex, vanoque errore rigescunt
 Populea ceruice iuba, per lignea colla
 Perq; armos it fictus honos, vestigia firmat
 Excisum duro fagi de stipite cornu.
 Hos verò egregij rigidis moderantur habenis
 Sessores, Gallusq; pares, in pectora pendet
 Lignea casaries, exornat acuta dolatas
 Barba genas, capiti præbebat concava quercus
 Tegmen iners, imos longissima bracca fluebat
 Per talos, sauo frondens latus asculus ense
 Armabat, torpentis equi calcaribus armos
 Fictilibus fodiunt, vigiles ignobile vulgus
 Dixerat Hispanos, istis custodibus arce
 Sat Gallus prohibetur iners, nos fessa quiete
 Corpora curemus: paribus conclusa iuuentus
 Liligerum populum ludit per mœnia sannis.

Has vbi Dux Guebrian resonare per æthera voces
 Audit, & sculptos equites per mœnia vidit,
 O quam terribiles exarsit pronus in iras?
 Dentibus infrendens, & totus feruidus irâ
 Quo truculenta loco stabant tormenta, citato
 Fertur equo, celsamq; iubet, qua proxima pago

Obstat.

Obstat, quem Libler veteres dixere coloni,
 Ex aequare solo glomerato turbine turrim.
 Nam spem nactus erat vanam, caesa profunda
 Vicinamq; arci saxa expletura paludem,
 Ut rursus densis cuneis tentaret hiantes.
 Per lapidum strages arcis penetrare ruinas.
 Sed frustra tormenta tonant, & puluere frustra
 Incita tela secant glomeratis ictibus auras,
 Telorum frustra turrim quatit irritus imber.
 Haud secus ac moles, quam magna murmure fluctus
 Oppugnat, manet illa, suoq; est pondere tuta.
 Non poterant densi compages soluere muri
 Tela, nec impositis vnum subducere saxis.
 Attamen hoc, fateor, potuerunt verbera, muris
 Impresere Ducis nomen, belliq; futuris
 Ciuibus immensi clarissima signa dederunt.
 Quae pia posteritas certo pro teste teneret,
 Quondam cum Suecis ac Hæsis foedere iuncto
 In Christi gregis, Agrippinatunq; nefandam
 Conspirasse necem Gallos patriâq; gemente
 Subdirâ Senonum rabidâq; tyrannide, ternos
 Non potuisse Duces modicum deuincere castrum.
 Interea quidam Proceri sera Numina Parca
 Vltima fila legunt, qui dum numeraret inertes
 Atque actos sine Marte dies, ac stare pueret,
 Incendunt sua fata virum, mentemq; superbam
 Mundanus titillat honos, ac laudis amore
 Ignescens animo, varijs hortatibus egros
 Impellit socios, Prô! quisnam terminus, inquit,
 Ante arces standi clausas oblite tuorum
 Factorum miles? quis erit modus? astat Agrippa

Vrbs vestris vincenda armis, quosq; abluit vndis
 Rhenus agros, iubeo sub Gallica mittere iura,
 Post me, vinceniti quanquam tibi reddere tantas
 Promittam gazas, non ibis? & arduus arma
 Me ducente feres? Vos per deuicta superbi
 Castra Ducis Lamboy, per ego vos bella priora
 Obtestor dignos iam vosmet reddite vestra
 Quam trahitis fama, & reuocate in pectora pugnas.

Talibus incensi socij, mox plurima iungit
 Sese turba Duci, Guebrian quoque latus eunti
 Se tradit socium, ipse prior ruit impete magno
 Ad muros, magnaq; optat discrimina fama.
 Hinc ardore pari nisusq; incurrere muris
 Exardent socij, prostrataq; valla subire.
 Tela simul stammag; volant, tunc ferreus imber
 Ingruit, & laceris ascendunt mœnibus hasta.

Tum tormentorum celsâ de turre Magister,
 Cui nomen Michael (qui dirâ glande nepotem
 Ducoris Guebrian circum conclusa vagantem
 Mœnia nuper equo moribundum excussit, & orco
 Reddidit atram animam, Patruoq; ex sanguine cadauer)
 Excubat, & nigram procul aduentare per aquor,
 Et ferri ad muros nubem videt, arma, cruentus
 Hostis adest, rapite arma viri, clamatq; globumq;
 Tormento condit, dein tetro puluere sphaeram
 Impulsam validè densos contorquet in hostes.
 Illa elapsa volans deiectum procinus altum
 Ante pedes Domini strauit caput, ipse secutus
 Corruit vltior præcurrens impete truncus,
 Spiritus exundans vicinos puluere moto
 Perflauit muros, & nubem sparsit in auras

Vt diuersa petunt, errantq; per aethera, quando
 Accipiter medio veniens a limite solis
 Dilectas Veneri, notasq; in honore Diones
 Perturbat violentis aues, atque vnguibus idem,
 Idem nunc rostro, duris nunc ictibus ala
 Dat pauidas rabido seu a inter vulnera letho:
 Sic quoque morte Ducis visa mox agmine verso
 Diffugiunt socij, proiectis ocyus armis
 Effusi nimbo similes ad castra meabant.
 Primus abijt longeq; praet Dux Liliger, ante
 Emicat, & ventis & fulminis ocyor alis,
 Quin adeo cursu properat praertere cunctos,
 Vt citus intacta segetis per summa volaret
 Gramina, nec teneras plantâ la sisset aristas.
 Sic agilis rapitur per caerulea summa Liburna,
 Qua pariter quoties reuocata ad pectora tonsa
 Percussere fretum, Boreâ fugit ocyor, & se
 Quam longa est vno remorum praerit ictu.

Hac sic morte Comes Guebrian turbatus amici,
 Ingentiq; fugâ tantos sub mente dolores
 Hâusit, vt infirmus turpi defessa quieti
 Membra daret, socioq; suas, cui tota iubenti
 Parebat legio, curas Martiq; nefandi
 Summam commisit, latebrasq; inuisere, nec non
 Suppeditare dolos pugna, & subducere muris
 Inceptas iussit foueas, ac talibus insit:

Ne praesume viros clausos inuadere aperto
 Marte, late magis, & tutus sine sanguine pugna,
 Hos ego vix homines credo, potiusq; horrendis
 E scopulis natos, nutritos lacte ferino.
 Sunt illis silicis circum praecordia vene,

Aut rigidos lapides, solidumve in pectore ferrum,
 Aut adamantina gerunt, patulo hos exposcere campo
 Quaeso, caue, ne forte luas temeraria bella,
 Et mihi morte tuâ dolor hic sub pectore crescat.

Suscipit ille sui Generalis iussa serenâ
 Fronte, tumens animo, tantoq; elatus honore.
 Attamen indignè Domini sibi vera monentis
 Iussa tulit, Num semper, ait, formido sub antris
 Me teget? & pigro studio certamen in vmbra
 Num semper lætabor iners? semperne latebo?
 Ibo, ibo, atque palam pugnabo, virosq; nefandos
 Hoc, hoc ense petam, perfundam sanguine muros.
 Hac laus sola datur, si viso vincimus hoste.

Sic fatus socios ex omni gente cruenta
 Delegit pugna (sic vanè namque putabat)
 Sed magis vt sauo crudeli morte peremptum
 Eriperent hosti, funusq; in castra referrent.
 Tum socios animans clamat: Per plurima nostræ
 O socij decora, & sacras in sanguine dextras
 Votis inepares, & tantum audete sub armis,
 Quantum arx clausa timet, fragiles perfringite muros,
 Si nobis fortuna dabit deuincere castrum,
 Immortalis ero, & vestrum longæua loquetur
 Nomen posteritas, celeri dein mœnia gressu
 Clausa petit, dumisq; latens secretus ad arcem
 Cum timidâ turmâ repit, murisq; propinquus
 Ingenti fastu turgens, stat vertice nudo,
 Et fulcit nitido miro splendore galero
 Brachia, deinde videns circumscrutatur apertas
 Murorum rimas, num forsân diruta quidam
 Mania tutentur vigiles, quâ parte liceres

Moliri primos aditus, speculatur in altum,
 Luminibusq; fixum fixis considerat arcis.
 Risit nube sedens vani conamina cœpi
 Atropos, ac armat refecanda ad flamina dextram.
 Hunc vbi stans miles cautâ fortasse fenestra
 Prospexit fixo speculari lumine muros,
 Ocyus instructam bombardam apponit ad aures,
 Intendensq; diu: Temera certamina Galle
 Hic lue nunc, inquit, pugna, te Teuto timendus
 Hac trahit ad manes sphaera; tum soluitur atrox
 Machina, & ingentem luto vomit ore sauiam,
 Plumbea glans mediam gemina inter tempora frontem
 Perforat, & cerebrum crudeli vulnere transit.
 Fit sonus, ingenti concussa est pondere tellus,
 Collapsos artus atque arma cruenta cerebro
 Sternit humi moriens, tepidusque per ora iacens
 It cruor, inque humeros cervix collapsa recumbit,
 Purpureo veluti cum flos succisus aratro
 Languescit moriens: lassove papauera collo
 Demisere caput, pluuia cum sorte grauantur.

Mox vtrunque petunt celeri pede triste cadauer,
 Haud secus ac quando præcelsum in cornua ceruum
 Retibus inclusum venantium callida turba
 Et iam nitentem pedicas euadere cernit,
 Aduolat, & præceps cursu concurrat anhelò,
 Et quiuis prædam certat configere telo.
 Per patulos aditus murorum clausa iuuentus
 Euolat, & contrâ Socij defendere tentant
 Triste Ducis funus, crebrosq; tremenda relaxant
 In Nostros tormenta globos: similiq; furore
 Turribus ex altis in Gallos sputala torquens

Clausi sic dudum vario luctamine mansit
 Inter utrosque viros anceps miserabile corpus,
 Nunc Galli in tergum versi referuntur in agros,
 Nunc rursus clausas retro pavor abstulit alas
 Aut illi dextros lunatis flexibus orbes,
 Aut illi lauos sinuant in cornua gyros,
 Texunt alterno glomerata volumina cursu.
 Vidisti quando feruens exastuat vndis
 Ante focum demissa, repletq; carnibus olla
 Ut dum sede latens obseruat opercula Cattus?
 Si forsan casu haud claudat distractus abeni
 Ora coquus, volat ille citus, calidamq; rapinam
 Ore petit rapido, trepidos spumantibus vndis
 Mergere nunc tentat, nunc retrahit ocyus vngues.
 Sic stetit ante sui Colonelli lugubre funus
 Gallorum tremebunda cohors, fert anxia corpus
 Mens feruare Ducis, sed quis contingere dextra
 Audeat? igniuomis iugiter nam bullit ab alto
 Vndique lethifero succensa canalibus astu
 Lympha super miseros, quamprimum corpora diuisis
 E latebrisve ferunt, mox plumbeus intonat imber,
 Fulmineoq; ferunt horrenda tonitrua nimbo.
 Tandem commiserans Gallis fortuna sauebat,
 Extremosq; Duci fidis persoluere honores
 Concessit socijs, nam clausos reppulit ingens
 Vis tormentorum, Celtisq; ad triste cadauer
 Præbuit accessum, subito tum feruida pubes
 Irruit, & raptum mœsti super arma iacentem
 Portabant Dominum, corpusq; in castra ferebant.
 Quos vbi Dux Guebriani tristi clamore ruentes
 Vidit præfago percussus pectora luctu,

Quinam, inquit, dolor ô socij? qua Numinis ira
 Eripuit nobis? num te dulcedine laudis
 Flagrantem & nimio primi Mauortis amore
 Atropos indignans properato funere carpsit?
 Atque dato gemitu lachryma assensere ferentium,
 Et simul immitis narrata tragœdia cedis.
 Hoc, ait, hoc timui, hoc præfago lumine sensi,
 Cum tibi iussa darem, cur non mihi vera monenti
 Est data chare fides? cur non mea iussa secutus?
 Sat prorsus, sat erat decoris discrimine tuto,
 Sat laudis, cur facta audax maiora petebas?
 Cerno quidem aduersum per candida tempora vulnus
 Hostilis teli, claro tu nomine dignus
 Ibis ad Elysios Patres, nec te optima coniux
 Indignum lugebit auis, sed metæ doloris
 Quæ valet esse mei? mihi quis solatia bello
 Fisso deinde dabit? quis nostros diriget astus?
 Quis modus afflictis rebus? vel quis mihi posthas
 His exantlatis sub iniquo Marte periculis
 Consilium præbere queat? tu maxima belli
 Spes virtusq; tibi tuto committere curas
 Sollicitas poteram, quæis Dux ego Liliger angor.
 Tales Dux gemitus ex imo corde trahebat.
 Immaduit funus lachrymis, & plura volentem
 Verba loqui, nimius sermonem susulit angor.

Discite mortales nequicquam iniusta probari.
 Bella Deo, nunquam peruersis annuit actis.
 Et licet ipse sinat paulum florere nocentes,
 Vexariq; pios, tamen haud permittit ouare
 Perpetuo fontes, verum tolluntur in altum
 Vel lapsu grauiore ruant; sit Liliger Heros

Exemplum dictis, plures fortuna triumphos
 illi contulerat, plures prostrauerat vrbes,
 Immensòq; tumens fastu concludere Rhenum
 Spes erat, ac Vbios castris circumdare muros.
 Sed Deus elusit vani conamina cœpti,
 Exstinxitq; sequens primas infamia laudes.
 En magnus Rhemi domitor, quem tota tremebat
 Patria victorem, cuius rumore tot vrbes
 Deuictæ sine Marte iacent, contemptus ab arce
 Vincitur exiguâ quam tres sua castra morari
 Crediderat non posse dies, hanc Solis ouantem
 Sexta dies veniens, quâ fessis otia bobus
 Iusserat omnipotens, grato solabitur ortu.

Hæc tacitus voluens Senonum Dux angitur, atque
 Nunc quasi mente cadit, nunc clausi militis acres
 Miratur vires, latasque in prælia mentes.
 Nunc pauido sub corde Ducem, qui prouidus omnes
 Fraudès atque dolos pandat, sub imagine fingit.
 Dum iubet ipse suos districtis stare sub armis,
 Sub Duce stat Carolo stricto seges horrida ferro,
 Opponitq; suis fortissima pectora muris.
 Si Francos iubeat musquettas edere bombos,
 Germano nostras vult respondere boatu.
 Si fodiant Galli longis confractibus antra,
 Repentes simili deludunt arte cuniculos.
 Tympana si reboant, & Mars accenditur ære,
 Mox obfessa fremunt duplicato mœnia pulsu.
 Si rabidis feriant tormentis mœnia clausi,
 Si qua fortè patent, abstergunt stramine rimas,
 Stramineosq; viros in muri vertice ponunt.
 Cum Gallùm miseranda cohors ingente laboris

Irruere in pagum foueas, seu aq̄, ferire
 Omnes cade viros, obduratasq̄, phalanges
 Sternere, & ex imis excidere moenia pagi
 Sedibus, & tandem laxis immittere habenis
 Vulcanum, & prorsus crepitantibus vrere flammis.

Affensere omnes, & facto dicta probarunt,
 Nec mora, pons alius fabrefcit, qui protinus altas
 Dexteritate citâ, meliore labore, modoḡ
 Fossarum caueas lato complectitur arcu,
 Quem nec fulminea poterant euertere sphaera,
 Nec veluti primum dira succidere falces.
 Hinc vbi rotiferis terram nox obruit vmbriis,
 Et somnos dum cuncta tenent, interq̄ Triones
 Flexerat obliquo plaustrum remone Bootes,
 Ad facinus venit ille suum, fugit aurea caelo
 Luna, regunt nigra latitantia sidera nubes,
 Immanes, ferroq̄, graues, ac igne doloso
 Inceitas glandes, in quas rude stramen obumbrat,
 Intextasq̄, domos iunco cannâq̄, palustri
 Vibrat, & imponit vastis laquearia flammis,
 Vt simul unpediat, ne quisquam fontibus ignes
 Compescat, plures ceratas sulphure sphaeras
 Ac pice commistas repetitis iactibus vrget.
 Tum prius oppiduli, quam quisquam cernere posset,
 Stant cincta flammis subito surgentibus ades.
 In stabulis ardent iauri, foetaq̄, iuuencia
 Correpta rabidâ veluti seges arida flammâ:
 Arserunt crines, & vulnere sanguis inustus
 Terribilem stridore sonum dedit, vt dare ferrum
 Igne rubens plerumq̄, solet, quod forcipe turua

E

Cum

Cum faber eduxit, lacubus demittit, at illud
 Stridet, & in tepidâ submersum sibilat vnda,
 Chaonia veluti miluo veniente volucres
 Insolita in tenebris horrescunt lumina flamma.
 Innocua volucres nunquam tam triste volastis.
 Quod scelus aut quamnam meruere piacula, castis
 Ne liceat vobis tuto requiescere nidis?
 O Venari delecta cohors! fors amula turpes
 Incestosq; dolos furtiuâq; gaudia Magni
 Coniugis ac fratris cum Cypride virgine luxu
 Vltâ petit diras inimico ex alite penas.
 Sic erat in fatis, nemorum ad frondosa volate,
 Forsitan accipitris vos implacabilis ira
 Excipiet, dederitq; rapax consortia miluus
 Exulibus mage tuta, furor quam Gallicus, ades
 Qui flammis hominum comburit & antra ferarum.
 Heu miseranda nimis facies! heu grande doloris
 Prodigium! toto remicant incendio castro,
 Tum face perceleri populatur feruidus ignis
 Flagrantem vicum, ruptâ caligine in auras
 Actus apex claro perfundit lumine campos.
 Respicimus longè latèq; volare fauillas
 Vortice cum tereti celfo super æthere sursum
 Fit crepitus maior pleno resonante camino,
 Aut cum flammituomâ silices fornace soluti
 Concipiunt ignem liquidarum aspergine aquarum.
 Stat pecus omne metu mutum, reliquaq; iuuenta,
 Quæ subita rapidas furias sine vulnere flamma
 Euasere, vage in plateis mussantq; tremantq;.

Hæc ut in arce latens populus miserabile vidit
 Exitium, variâ confusus imagine rerum
 Obstupuit, subitus pauidis calor ossa reliquit,
 Sparguntur crebri gemitus, lamentaq; matrum
 Ploratusq; virum tristes è turribus altis
 Collisis manibus replent ululatibus auras,
 Plurimus obueniens citius timor, horror, & angor
 Improviso animos hominum percelluit omnes.
 Hinc timor horrissonis à bombis maximus, illinc
 A tam festinis nunquam visisq; fauillis
 Terrificus stupor, ut nullus tunc incola castri
 Ausus abire foras, hæusto qui flumine tentet
 Mulciberi rabidas tectis compestere flatumæ.
 Sic homines misera producere tempora vita
 Estimulat connatus amor, sic Nestoris annos,
 Quamuis cygnas imitentur tempora plumas,
 Et tereti bacullo titubantes allouet artus,
 Iungere præteritis vetulus longæuus anhelat,
 Quilibet hoc vnum, cum tanta pericula cernit,
 Horret, ne seuo sua tenuia vulnere rumpat
 Stamina trina soror, stygiasq; retrudat ad vndas.
 Aut quodque ne diros laqueos incurrat in hostis,
 Quem iam credebat tantos penetrasse per ignes,
 Præsidiumq; suum nostras cecidisse cohortes,
 Cum se murorum patulis in hiacibus hosti
 Fortiter objicerent, dubijs sic ciuibus ingens
 Dilecta reliquam vitæ spem terror ademit.
 Sed quid aget noster tanto in discrimine miles?
 An fugiens vrbis muris discedet apertis,
 Ut fufis lymphis grassantes comprimat ignes?

Hac id fraude vaser dubio procul hostis anhelat.
 In statione sua peditumq₂, equitumq₂, manpli
 Consilio meliore manent, ac mœnia cauti
 Obseruant, fractos si tenet forsitan hostis
 Castrorum iuncto perfingere robore muros.
 Et licet ad cunctos vicini proximet ignis
 Fumans flamma, tamen latum non vnicus vnguens
 Se remouet, sed firma manet mens omnibus igne,
 Aut prius ense mori, quam non reparare ruinas
 Murorum, & sauos foueis depellere Gallos.
 Vt nocitura tamen niaturo tempore pellant
 A statione sua flammaram incendia, quosdam
 Arce vocant ciues, coguntq₂ pauore trementes
 Flumine vicinis hausto succurrere tectis.
 Depositis etenim vigiles non conuenit armis
 Ignes sedando viduis discedere muris.
 Nec spes vlla fuga, si non Deus hisce periculis
 Auxilium obsessis summa bonitate tulisset,
 Vel viui miserè crepitantibus ignibus vri,
 Aut verò cuneos hostis penetrando subire
 Debuerant mortem, vel tandem cadere Celtas.
 Par manet anxietas, vtrimq₂, & vbiq₂ minatur
 Mors furibunda, rogos hic, illic obijcit enses.
 Non tamen à dubiâ Nostri statione recedunt,
 Extremam vita cunctis licet, Atropos horam,
 Qua nêrant socia, refecando sula minetur,
 Hinc animo forti sese exhortantur in armis,
 Vt prius occisi generosa morte recumbant,
 Quam turpi titulo furibundâ cedere Gallis.

Soluerat Hesperij deuexo margine ponti
 Ter nitidos sol pronus equos, & lauerat albam
 Oceani sub fonte comam; ter fratre retruso
 AEmulus aduersis flagrauerat ignibus orbis,
 Quorogus hostilis totam depascitur urbem.
 In Babyloniaca nostros fornate putares
 Inclusos pugiles, animis tamen inclyta turba
 Gaudet, & vt pueri, quos olim fouit iniustus
 Flamma, melos lati illasi modulantur in igne.
 O virtus generosa! & inuictissima corda!
 Seu nece, seu vita fixum est deuincere Gallos.
 Sic tres à decima glomeratis orbibus ibant
 Noctes atque dies, quod sic stat miles in armis,
 Vt fera, quæ densâ venantum septa coronâ,
 Contra tela furit, seq̃ imperterrita ferro
 Inijcit, aut saltu supra venabula fertur:
 Sic noster miles medium moriturus in hostem
 Irruit, ac vbi tela ruunt densissima tendit.
 Non mihi Mæonia redeat si gloria lingua,
 Centenasq; Pater det Phœbus rumpere voces,
 Tot cades proferre queam, quot mœnibus altis
 Errans Casarea Gallis furor intulit ira.

Ante alios Carolus circumtulit arma suorum
 Vltima nunc lustrans, nunc prima sub agmina cursus
 Se recipit, grauibus nunc conspiciendus in armis,
 Nunc oculis subductus erat, nec vbiq; videtur;
 Non aliter quam stella nocens, quæ nubibus attrie
 Apparet latitatq; simul; sic impiger Heros
 Totus ab armorum radiabat luce corusca,
 Ceu Ionis armati clypeo trepidabile fulgur.

Magnanimis socios verbis hortatur, & omni
 Parte laborantes stimulis confirmat aceruos,
 Restituitq; acies, bellumq; exsuscitat atrox.
 Ioannes pariter Kipshoffen prauolat omnes
 Obsessos vrgebat vbi vis maxima belli,
 Quâ rara est acies, interlucetq; corona
 Non tam spissa viris, laceris pia pectora muris
 Opponit fortiq; manu iaculatur in hostes
 Depice compassitas ac tetro sulphure glandes.
 At velut Astripotens manibus fabricata Cyclopum
 Fulmina dum torquet, flagranti corpora telo
 Obluctata ruunt, syluis fragor intonat ingens,
 Per medium diffusa caput ruit ardua pinus,
 Et rudibus fagis permista euer titur ornus.
 Sic quoque sulphurea magna cum strage soluta
 Glandes deiiciunt altis è mœnibus hostes.
 His oculos adimunt, dentes his ore reuellunt,
 His cecidère manus, his saeuo vulnere nares,
 His capita abripiunt, voluuntq; per aëra truncos.
 Ioannes Sigismundus Gopp maximus armis
 Os, oculosq; truces ac Gorgonos ora Medusa
 Esse videbatur similis, Martive feroci,
 Nam placidum sic ira virum stimulabat in hostes,
 Vt quando aduersam videt increscere pugnam
 In medios fert arma globos, seseq; periculis
 Ingerit, atque omni luthum molitur ab ense,
 Voce manuq; suas hortatur in arma cohortes,
 Ac tonat horrendum: Perstate, & fortiter oro,
 Pectoribus ferrum accipite, ac sine vulnere terga
 Ad manes deserte viri, nisi gloria mortis

Nil superest, idem sedes aduentibus imas
 Hic vobis Gopp. Ductor erit. Velocius inde
 Hæmonio Boreâ, pennâq; citatior ibat.
 At præclarus Ioannes Sax promptus agebat
 Cum parente sibi turmâ noctuq; diuq;
 Excubias, tacitos si forsitan hostis ad astus
 Inclinet, solers scrutatur, & omnia lustrat.
 Haud secus ac socij in primos animosior hostes
 Irruit inuictus Tibanti, & proterit ausus
 Hostiles, sociosq; in prælia sponte ruentes
 Incitat, & magnas succendit mentibus iras.
 Hoc solum voluunt animis, quibus artibus hostes
 Fortiter opprimerent, ac vt sibi mutua ferrent
 Auxilia, & proprijs se tutarentur in armis.
 Obuoluunt clypeis frontes, stringuntq; coruscos
 Vaginis enses, glomeratis icibus hostes
 Bombardæ ferunt, resonantq; fragore si lopeas.
 Pars ligat in fascēs, mistoq; bitumine turpi
 Cum resinâ stramenta linunt, facibusq; tremendis
 Torrent vicinos muris; sed seuius acres
 Armavit vigiles, ac portis arcuit hostes
 Librari validis consueta phalarica dextris.
 Horrendum visu robur, nemoriq; propinquis
 Præruptis trabs lecta iugis, cui plurima cuspis;
 Fix muris toleranda lues, sed cetera pingui
 Vincta picæ, ac atro circumuita sulphure fumans.
 Fulminis hæc ritu summis è mœnibus vrbis
 Incita, sulcatum tremula secet æra flammâ,
 Augurium qualis mœstum laturus in orbem
 Præceps sanguineo delabitur igne cometes,

Prodigiale rubens, ac saeuo crine minaci
 Nuntiat aut ratibus ventos, aut viribus hostes.
 Hec ictu rapido Francorum saepe per auras
 Attonito ductore tulit fumantia membra.
 Hec dum Vulcanum pluteis exercet adustis,
 Arma virosq; simul pressit flagrante ruina.
 Haud quoque si vano molimine missa profundo
 Labitur amne caua fonea, sedatur iniqua
 Molis triste sonans rabies, agit vndiq; flammam
 Dispersus ripis ignis, multosq; per annos
 Nutritas fosis populatur feruidus vndas.
 Si ruit in nudam terram, mox horrida late
 Scinditur in rimas, & hiatu raptâ debiscit.
 Sunt quoque qui valido stridentia saxa latere
 Grandinis in morem librant, ac incenia fixis
 Scandentes scalis conspersus sanguine muris
 Deturbant, illiq; ruunt, armisq; sonoris
 Dant sonitum ingentem late resonante ruinâ;
 Non secus ac quercus, folijs aut populus albens,
 Aut abies pinusve virens, quam doctus in vsum
 Naualem faber excidit, sic lapsa iacebant
 Corpora, seq; suo moribundi in sanguine versant.
 Nonnulli obijciunt aluëaria vimine texta
 Hostibus, en subito strepit omnis murmure murus,
 Turmatimq; volant, & pungunt nuda cruentis
 Corpora aculeolis, sic cerea castra maniplos
 Aduersos frangunt, fractisq; labore secundant
 Ciuibus, hos oculis subtili vulnere laesis
 Caecos precipitant, illis digitosq; manusq;
 Mordendo sauis nudant crudeliter armis.

Taliter vnanimis per mœnia bella gerentes
 Obsessi claros referēbant sēpē triumphos.
 Horrida crescebant fēsis per vulnera vires.
 Effusos furor renouatur sanguine Martis:
 Haud secus ac libyca vastissima bellua terra
 Trux Elephas, dirā laesus si forte sagittā,
 Vulnere conspiciat gelidum manare cruorem,
 Quas dorso moles ac propugnacula gestat,
 Excutit, ac subito suribundā percitus irā
 Nunc huc, nunc illuc fertur per scuta, per enses,
 Aduersos cuneos longā promuscide sternit;
 Falcatos currus euertit, & omnia turbat.
 At Galli bello fracti, multoq; labore,
 Intolerabilibus vexabant pectora curis,
 Et iam paulatim fit desperatio primus
 Ille furor, primiq; ferox violentia belli.
 Præcipuè bello egregios, primosq; virorum
 Turbatos animis fermè spes cuncta fefellit.
 Inter quos Guebrian curis ingentibus ager,
 Sæpius ingeminat tacita hæc suspiria mente:
 Prò pudor! ah fœdum probrum! prò dedecus ingens!
 Ergone tot claris mihi gloria parta triumphis
 Antè adeo vilis marcescet mœnia pagi?
 Phuy qualis maculat titulos infamia nostros!
 O vtinam hæc vallis cinxissē mœnia solus?
 Fortè mihi leuior fuerit confusio, solum
 Quam cum tot Ducibus deuictum cedere muris.
 Heu quali Regis nostri replebitur aula
 Infando rumore: Duces tres agmine trino
 Non potuere sibi sordentem subdere vicum.

Qui mihi spondebam nuper me Lechnia paucis
 Mœnia capturum socijs, tot lumine functis,
 Tanto hic amisso populo, sine nomine, vilis,
 Infamis, patrias sic ergo reuertar ad oras?
 Dedecus æternum me terret, at imperat ipse
 His Deus auertens hostilia mœnibus arma.
 Sic querulis liquidas implebat vocibus auras,
 Tempore sic longo dubitans immobilis hæsit,
 Et varias voluit furioso pectore curas,
 Quo meliore modo victor perfringere muros
 Hostiles tandem valeat, quâ vindice dextrâ
 Plurima ad obsessos cumularet funera muros.
 Talia voluenti potior sententia visa est,
 Mittere ad obsessos iuuenem, qui mœnia poscat,
 Aut certam referat victis instare ruinam.
 Ergo rursus adest iuuenis caua tympana pulsans,
 Hic clausis oculos velatus talibus infic.

Vos moneo ac hortor generosa corona virorum,
 Si nonnulla tenet vestra vos cura salutis,
 Inuictis Ducibus prostratos dedite muros,
 Vestra sat emicuit cunctis heroica virtus,
 Hactenus æternos meruistis laudis honores
 Oppidulum paruum tantâ virtute tuendo:
 Atq; vltra laceros temerè defendere muros,
 Nec virtutis opus, nec dignum laudis honore,
 Sin verò oblatos placet irridere fauores,
 Terribilis tunc læsa furor patientia fiet,
 Nec precibus capto castro locus amplius vllis
 Supplicibus dabitur, sed læsi Principis ira
 Sauiet, ac omnes eadem mors certa manebit,

Ac vsque ad capulum condentur cordibus enses.

Dixerat. At nostri Heroes vno ore reclamant;
 Dic Comiti Guebrian, Ducibus, socijsq; cateruis,
 Quod sibi promissa fallacia verba salutis
 Seruet, neue minas generosos credat inanes
 Vincere posse viros, nil proficientia verba
 Non terrent animos, quos nec fera classica Martis,
 Nec tormentorum superare tonitrua possunt.
 Ergo vetus nobis fixa est sententia menti.
 Ille dies nostra rescecabit stamina vita,
 Quo Guebrian nostri dedemus mania pagi,
 Desinet esse prius contrarius ignibus humor,
 Quam nostra esse sinent contraria pectora Gallis;
 Flamma per incensas citius sedetur aristas,
 Quam nostra in Gallos queat iracundia tolli.
 Ante lupos hœdi rapiant, vitulig; leones,
 Delphini pisces fugient, aquilaq; columbas,
 Quam fugiat Gallos inuictum Caesaris agmen,
 A membris potius patiemur membra secari,
 Quam cum sacrilegis sanciri fœdera Gallis.
 Quarè Dux Guebrian nos vincere tentet in armis,
 Flectere si nequeat Superos, Archeronta reuoluat,
 Lechniacos nobis stat nunquam tradere muros.
 Hæc iuuenis remeans Generali dicta virorum
 Rettulit, at Guebrian circum præcordia sanguis
 Atrâ bile tumens magnos in corde dolores
 Excitat, & vario sub pectore fluctuat astu,
 Hinc oculos animumq; rotat fremebundus in altum,
 Sicut aqua tremulum labris vbi lumen aheni
 Sole repercussum, aut radiantis imagine luna

Omnia peruolitat late loca, iamq; sub auras
 Erigitur, summiq; ferit laquearia tecti
 Hinc aliud medium fraudis sub corde recondit,
 Scilicet vt varios Gallo de miline perdat,
 Ordinatur, vt quidam tenebras, cum Vesperus affert,
 Veloces pontem subeant, muriq; cuniculum
 Vicinum fodiant, posito quem puluere in altum
 Nitroso rumpant, murosq; per aethera spargant.
 At patuere statim nostris Heroibus astra
 Fallacesq; doli, quapropter nocte dieq;
 Aere cauo torrentia boant, resonantibus aruie
 Continuos bombarda globos explodit in hostes.
 Nec non fraude pari Nostris praeuertere fraudes
 Gallorum visum est, hinc tecta fronte latentes
 Moliri simul imparant, & vertere ferro
 Murorum partem, qua possunt currere in hostem,
 Et facilem reuocare gradum, muriq; sub ipse
 Per longum spatium cauea repsere latenti,
 Et simili fossa tentant deludere fossam,
 Ac imâ abstrusos hostes depellere terrâ.
 Ast indignatus Celzarum murus inertes
 Insidias fraudesq; cadens compagula rupis.
 Sic caueis lapsa muro depellere Nostris
 Non poterant mures, nec caueas pandere fossas.
 Iamq; loco cedunt quarenti erumpere vento,
 Ac vbi maius onus terra lapidumve resistit,
 Tollunt, ac incus constractis mœnibus aleum
 Obijciunt vallum, quod tantum proficit, hostis
 Vt cauea in minimo clausos non laeserit vngue.
 Ergo sacrata crucis Domini dum festa reperta

Latioꝝ effulgens Hyperion sparserat orbi,
 Conuocat armatos Guebrian ad signa maniplōs.
 Conuenēre breuī, sumptuq; steterē sub armis.
 Instruxēre Dutes densatis agmina turmis;
 Qualia vere nouo muscarum examina densis
 Agminibus confusa ruunt, ad plena volantūm
 Mulctra leuis tugarū, & libantūm munera lactis:
 Gallorum talis nitidis exercitu armis
 Instructus, tales Lechnich vastare parata
 In campis stabant confusa per agmina turma.
 Lamq; dari signum pugna (bis dena tremendo
 Mandarat Guebrian tormenta boare ramultu)
 Expectant alacres, pradaq; cupidine frendent.
 Vix signum tormenta sonant, & in aëra sursum
 Mox latebra scisso densa inter nubila celo
 Erumpunt, terramq; quatit fragor, ardua secum
 Terra frustra trahens superas dispergit in auras,
 Et qua sunt supra se, concutit omnia motu.
 Haud secus ac quando geminatis ignibus ardens
 Immanes scopulos, incensaq; pondera montis
 Enceladi fornax superas eructat in auras.
 Sed quia sustulerant onerantia pondera clausi
 Qua parte obsessos respexit machina muros,
 Nunc versus Gallos ingenti male grauari
 Indignata tonat, longasq; per aëra braccas
 Sustulit, atque leues turbas saltare coëgit,
 Et quia clementer pondus sibi grande leuārant,
 Obsessis aquilis prorsus miserata pepercit.
 Ad cauea saltum subito taratantara clangunt,
 Et talia terribilem sonitum procul are canoro

Increpat, & sequitur clamor, cœlumq; remugit.
 Qualem sepe auium per nubila pura volantens
 Sive gruuium turma, dum paruis bella colonis
 Pendula motura septeno gurgite Nisi
 Strymona permutant, Cygnorum siue canoros
 Edentium per colla modos longissima cantu
 Circum latiflui nunquam non verna Caystri
 Flumina, nunc cœlum, nunc terras ore petentes
 Spargunt clangorem, & replent garruibus auras:
 Talis erat sonitus Gallorum moenia circum
 Lechnichij; implentium campos, castrisq; ruentium.

At caput ornatus cristis fulgentibus vltra
 Infremuit socios Gæbrian comes, ebrius ira,
 Atque furore satur furibundo bellica rursus
 In muros tormenta iubet latrare boatu.
 Hinc grandes iaciunt ingenti pondere glandes,
 Et crucis in formâ, nunc qua consurgit ab vndis,
 Nunc qua Phæbus equus in vasto gurgite mergit,
 Nunc qua Parrhasie gelidus stat virginis axis,
 Nunc qua flauicomus medius venientis & actæ
 Est noctis, spatioq; pari sol distat vtrinq;
 Tormentis vrbis trepidantia mœnia quassant.
 Non grauiore mouent venti certamina mole,
 Cum modo purpureo vires capit Eurus ab ortu,
 Et contra Zephyrus sero de vespere spirat,
 Odrysius Boreas siccâ bacchatur ab Arcto,
 Et Notus aduersâ miscet fera prœlia fronte,
 Obnixi ponto cum bella furentia torquent,
 Perturbantq; fretum, & diuersa ad littora voluunt
 AEquor quisque sumum, nec non franguntur acutis

Cautibus illis, crebro sonat omne tumultus
 Littus, & obiecta spumant aspergine moles.
 Hic furor orditur, seuiq; insania Martis,
 Dulcia terribili mutant Psalteria pugna.
 Nam casu tormenta mouent, quae glandibus ictis
 Continuo vomitis densâ compage soluiâ
 Murorum in Nostros per mœnia clausa vagantes
 Grandinis in morem saxorum fragmina vibrant:
 Hinc atque inde sonat circum caua saxeus imber
 Tempora, & inscribunt laceram fera marmora frontem;
 Hic primum clausis infligunt horrida turmis
 Vulnera, & exangues spoliant vitalibus auris.
 Victricem aspicias diuerso funere gentem
 Pro patriâ sanctam superas conscendere sedes.
 Hic pedibus caruit geminis, hic pollice dextro,
 His oculi effossi, dentes his ore reuulsi,
 Aures his admunt, alijs cecidit e lacerti,
 Sternuntur plures mediâ in coxendice scissi,
 Sunt alij dorsi per spinam vulnere lato
 Diffisi, multis mediâ inter lumina frontem
 Sphæra terebrauit, quae transijt intima frangens
 Ossa, & turbati cerebri madefacta medulla est,
 Pars autem capite auulso, truncog; iacente
 Euomit extremos flatus, vitamq; relinquit,
 Plures per galeas penetrantia saxa comantes
 Exanimant pugiles. Sic propugnacula, muri,
 Sic celsa fuso inanabant sanguine turres.
 His vbi se Galli aduertunt successibus vti,
 Cingentes vtrumq; latus Ducis, acriter vibrent
 Inuadunt hilares, Gallorum tota caterua

Aduolat, & minitans auda ad certamina fertur,
 Non secus amisso tygris si concita saetu
 Emitet, attonita paucis lustratur in horis
 Caucasus, & saltu transmittitur alite Ganges,
 Donet fulmineo partus vestigia cursu
 Colligit, & rabiem presso consumit in hoste.

Obsessi contra fessas firmare phalanges,
 Nunc alias aliaq; intus submittere turmas
 Per muros, quia praesentis res tota pericli
 Esse videbatur, quando penetrare lacunas
 Cum tantâ rabiè cernebant agmina Gallum,
 Quale venenosus nocuus Basiliscus ocellis
 Spargit in incautè occurrentia corpora virus.
 Sic quoque Casarei duro infecere veneno
 Braccatos Gallos, primos quoscunque videre
 Luminibus poterant, vltro ne pergere possent,
 Scilicet are cauo commiscens tale venenum,
 Quale nec Hydra vomit Lerhaa, nec ora Medusa
 Gorgonos exsufflant, nec ianitor ore trifauci
 Cerberus inferni spumat, nec Thessala tellus,
 Insula nec potuit mage formidabile virus
 Pestiferis herbis, quas germinat, indere Colchos,
 Non homines Dea seu a magis furialibus herbis
 Induerat Circe vultus ac terga ferarum,
 Nec magis immani nocuit Medea veneno.
 Hec vbi conclusi latrantia toxica muris
 Olfaciunt, subitâq; suos feritate Sodales
 Circumquaq; vident stygiâs descendere ad vmbra;
 Et quam pestifero spumantia spicula tabo
 Promeritas ipsi poenas mortemq; ministrant,

Currite virgatos sagulos braccasq; leuate,
 Currite Nouesium, cunctis procul insonat aruis,
 Vel longos rigido folles rescabimus ense.
 Hos alij contra reuocant, Heus quaso parumper
 Expectate viri, conferte viatica longe
 Exoptata fuga, pinguisima portio fessis
 Lechniaci laridi dabitur, ne tempore longo
 Quasitas, quae nunc damus vltro, spernite carnes.
 Talia confusis iterata celeuinata Nostri
 Improperant Gallis, campi clamore resultant,
 Et reddunt voces, auditq; verba reportant.

Singula complecti cuperem, sed densior instat
 Gestorum series, laudumq; sequentibus vndis
 Obruimur; cupidus praeda sitiensq; cruoris
 Clausus feruet eques, spolijs incensus opimis
 Quisque lupata parat, supponit ephippia dorso,
 Quadrupedemq; leuem in cursum velociter armat.
 Vltra omnes ductor feruetq; ardetq; Ioannes
 De Burgo, ablato pandi rogat obice portas,
 Integer vna dies reputatur labilis hora,
 Donec subducto valua sibi poste paterent,
 Itq; reditq; mora impatiens, ceu reste ligatus
 Dum catulus leporem medij venaticus aruis
 Ferri per virides cernit pede praepele glebas.
 Optat ut in campis rapido veberetur in hostes
 Fissus equo, pateantq; suae per prelia vires,
 Increpat in populo molimina tarda laboris.
 Tandem plebs validis manibus studiosa remouit
 Oppositos postes, augent noua gaudia vires.
 Vix porta patuere, simul cum turbine densa

Duxq₃ Phalanxq₃ ferox per pontem fertur ad arua,
 Mox omnis sauis sonipes calcaribus arsit,
 Ignescunt patula nares, non sentit arenas
 Vngula, quisque prior ferri cupiebat in hostes,
 Ac auersa virum transfigere tergora telis.
 Sed prudens Ductor fida in statione coeret
 Praecipites nimium socios, solusq₃ citato
 Vectus equo campis vigil explorator apertis
 Ante Notumq₃, datis zephyrumq₃ volabat habenis,
 Et profugos sequitur Celtas, strictumq₃ coruscant
 Mucronem, telisq₃ viros ac voce laeessit,
 Post acies hostis propè currit, & vnicus audet,
 Et modo non solum rapido permittit habenas
 Quadrupedi, sed talce citat, modo torquet in auras
 Flexibiles rictus, & nunc ceruice rotata
 Incipit effusos in gyrum carpere cursus,
 Et velut Aeneas aut alter Daunius Heros
 Millibus ex multis priuato Marte probare
 Nititur, an veniat quisquam certare paratus,
 Aut queat è Gallis rapta ditescere pradâ.
 O pudor! ô probrum! denis ex millibus ausus
 Nullus erat prodire foras, ast agmine denso
 Pergunt, & veluti viscoso glutine nexi
 Festinant longo sese discedere bello.

Hoc equitum turma stimulantur Marte pedestres,
 AEripedum post terga ruunt, atque agmine pleno
 Per portas in Castra volant, ac hoste per agros
 Astante evertunt moles, vallisq₃ nefandos
 Excutiunt dentes, & propugnacula latè
 Antraq₃ deuastant immixtis abditâ flammis.

Immensosq; simul pedites equitesq; cachinnos
 Tollunt, & torto post aufugientia signa
 Rhinocerotis ouant nasa, crebroq; boatu
 Testantur partes horrenda sclopeti triumphos.

Speramusne Dea, quarum mihi sacra coluntur,
 Mortali claros aperite in secula voce
 Posse Duces? tantumne datis confidere lingua
 Vt Lechnich vno ore sonem? quas reddere laudes
 Sufficiam? inferior vox omnis, & omnia sordent
 Verba, quibus meritos depromere posset honores
 Gratus amor; non si pariter mihi vertice lato
 Iungat Palladias & Smyrna & Mantua lauros,
 Multifidusq; ruat centum per pectora Phœbus,
 Factis digna canam: quamuis simul omnia vates
 In maius celebrata ferant, quod dulcis Aëdon
 Concinit, aut laudis complectitur Ilias ingens,
 Nil veris equale dabunt: quid namque? quid oro?
 Quid prius aggrediar? prisca pietatis inane
 Exemplar nullus dubitat Vos vincere verâ
 Religionem Numam, non Vos fera classica Martis,
 Non vos insidia, non mille pericula circum
 Deterrent reuorenda sacra mysteria Misse
 Mane nouo peragi cunctis audire diebus,
 Hac pietas meruit furias euadere Gallum
 Hassorumq; minas, hac millia multa fugauit,
 Eripuitq; neci ciues, hac intulit ingens
 Aeternumq; probrum Celtis, quod nulla vetustate
 Deleat, infernos quamuis exhauferit annes,
 Dum iuga montis aper, fluuios dum piscis amabit,
 Dumq; thymo pascentur apes, dum rore cicada,

Dum cælum rapidâ stellâs vertigine voluet,
 Lunaq; fraterno lustrabit lumine terras,
 Hæc meruit vobis æterni nominis vmbra,
 Perpetuumq; decus memori celebrariet æto,
 Si modo ferre diem, serosq; videre nepotes,
 Carmina nostra valent, nec famam inuidit Apollo.

Quid memorem bello vires, pulchrosq; triumphos
 Mauortiq; decus? quod nec ventura silebunt
 Lustra, nec obscurâ rapiet sub nube vetustas,
 Ast id fama vehet trans æquora, transq; remotas
 Tethyos ambages, Atlantæosq; recessus.

Non orbis dominor Casar, non acer Achilles,
 Non quoque Fabricius contemnens munera Pyrrhi,
 Nec qui fulmineum lento luctamine Pœnum
 Cunctando vicit Fabius, non denique binum
 Scipiadum prægrande genus, victorve Metellus,
 Nec quisquam veterum tentet, licet ære vetusto
 Floreat, eximijis titulis ð Martia pabes
 Se iactare parem, sed primâ sede relicta
 Lechmiadis, de iure licet certare secundo,
 Vt quando Oceano roseis Tritonia bigis
 Surgit ouans, mundumq; nouo splendore salutans
 Obuelat radijs stellâs per mane micantes,
 Tunc iubar Arcturi languet, tunc fulua leonum
 Ira perit, plaustro iam rara intermicat Arctos
 Indignata tegi, iam caligantibus armis
 Debilis Orion dextram miratur inermem.
 Per vos namq; Duces medijs exiit a tenebris
 Imperio sua forma redit, claustrisq; soluta
 Tristibus exanguis auâent procedere leges,

Iam nulli Rhenus constringitur amplius armis,
 Securas, intus furis exercita plebis,
 Agrippina leuat per vos tranquilliôr arcês.
 Vestra V bios populos vrgenti dextera letho
 Eripuit, tectisq; suis redduntur & agris
 Damnati faco populi, duriq; iuuenti.

Vt referunt veterum monumenta vetusta virorum,
 In castris quondam viguit mos iste Quiritum,
 Vt Dodonæa frondis vestiret honore
 Tempora, qui validis prostrato viribus hoste
 Casurum potuit morti subducere ciuem,
 At qui Tartareas misisset quinque sub vmbra
 Millia, & hostiles sudisset Marte phalanges,
 Alta triumphali victor Capitolia povipâ
 Scanderet, & meritâ velaret tempora lauro.
 Si laus tanta fuit quondam seruantibus vnum
 Ciuem, vel multos ferro mactantibus hostes,
 Quæ vobis poterit pro tantis Ciuica reddi
 Mœnibus? aut quanta pensabunt facta coronæ?
 Non solum vobis vitam debere fatentur
 Lechniaci ciues, sed virtus vestra potentes
 Heroes, stygq; non vnum corpus ab vmbra,
 Sed tot communi populos sub morte iacentes,
 Totaq; Tartareis è faucibus oppida traxit.

O quantum vestris fors est mutata triumphis!
 Iam sese pariter dissipat in omnia regni
 Membra vigor, viuusq; redit calor vrbibus agris.
 Vobis cum miseris gens Agrippina colonis
 Excussos timidis rigidos cernatibus enses,
 Clausaq; belligeri debet fera limina lani.

Vestra

Vestra Ducis magnam celebris victoria Lamboj
 Restituit cladem, ac Galli compefcuit iras.
 Quid quod Agrippinas Moguntinusq; salueros
 Elector Præfulq; suam vos esse fatentur?
 Urbis Imperij culmen, vastiq; suprema
 Maieftas orbis summam debere coronam
 Quis neget? emenso Rheno iam Gallica pubes
 Carula præcipitis forsan sua castra moueret
 Trans vada Danubij, fin veftris trina triumphis
 Castra Ducum tantas effent perpeffa repulfas.
 Vos cingat Muralis honor, pia tempora late
 Advelent laurus, meritq; in vertice quercus:
 Vos decet æternus redimita fronte triumphus,
 Præmia debentur, meriti debentur honores,
 Præful Agrippinas Moguntinusq; fauores
 Exhibeat dignos factis, veftrisque lacertis
 Cæsarei suprema throni feruata potestas
 Promeritis titulis heroica gæfta rependat.
 Sin minus, & meriti factis tolluntur honores,
 Det Deus in cælis, requies vbi veraq; duranc
 Gaudia, perpetuam tanto pro munere vitam;
 Hanc ego plus voueo, quoniam mea carmina veftras,
 Ceu volo, condignas haud possunt pangere laudes,
 Si veluti dignum est extollere veftra valerem
 Gæfta Duces, folijs chartiq; impressa paterent,
 Vt patet in firmamento Tithonia conuux,
 Immensiq; velur fulget lux publica mundi,
 Quatenus exemplo veftrarum cunctus in orbe
 Romano miles virtutum calcas haberet.
 Vos precor Herogs, nostris ignoscite culpis,

Si vestras dignis laudes narrare trophæis
 Non potui, ut volui, non est culpanda, sed et si
 Deficiant vires, tamen est laudanda voluntas,
 In magnis voluisse sat est, & parua videmus
 Munera clementes Superos per sepe probare,
 Quos non icta magis taurorum corpora centum,
 Quam data conciliant sincero pectore thura.
 Confiteor nequijt nostra enarrare facultas,
 Et non suffecit tanta ad præconia laudis,
 Obstruxere mihi veteres in carmine venas,
 Et solitos Phæbi prohibent audire susurros,
 Ingentes turæ, & longæui temporis arctæ
 Obsido, nimia turba, miseriq; tumultus,
 Quæque dedere feris tormenta tonitrua bombis,
 Cum metra secessum scribentis & otia quarant.

Viuite Victores, tum demum ferrea sumat
 Ius in vos Lachesis, cum sic mutauerit axem
 Fœderibus natura nouis, ut flumine verso
 Irriget AEgyptum Tanais, Mæotida Nilus,
 Atque pererratis amborum sinibus exul
 Aut Ararim Parthus bibat, aut Germania Tygrin,
 Euris ab occasu, zephyrus se promat ab Indis,
 Caucasisque iugis calido nigrantibus Austro
 Getulas Aquilo glacie restringat arenas.
 Viuite felices Socij, vos cuncta loquetur
 Tellus, vos varijs scribent in floribus hora,
 Longaq; perpetui ducent in sacula fasti.

F I N I S.